PROPHETICA, SIVE DE SACRA ET unica ratione Concionandi Tractatus.

Editio secunda auctior & correctior ab Authore facta.

Nehem.8. vers.5. Stabat *autem Hezra legis peritus in suggestu ligneo, quem fecerat adhanc rem, &c.* v.6. *Quum aperuit Hezra librum ante oculos totius populi (nam superior toto populo erat) & dum apertum habuit eum, consistebant totus populus.* v.7. *Deinde* benedixit *Hezra Iehovæ Deo maximo, cui respondens totus populus, Amen, &c.* v.8. *Similiterq́, Iesua & Bani, &c.* v.9. Legebant *enim librum illum legem dei explanatè: & exponendo* sensum dabat *intelligentiâ per scripturam ipsam.* I II III IV

Ex officina Iohannis Legate, celeberrimæ *Academiæ Cantabrigiensis Typographi.* 1592.

The faithfull Shepard
by Richard Barnard

Kirkermann ecclesiastica Rhetorica

Erasmi Ecclesiastes lib: 4

Augustini de doctrina Christiana lib: 4

Hiperij Top: Theologica

Buranus de arte concionandi

The Faithfull Shepard

Melanchton Rerubis et alii

FIDELIBVS MINISTRIS

Evangelij & omni-

bus Theologiæ ſtudi-
oſis, S. D.

GRavis eſt & arduus, ſi quis alius ex omni Theologia, locus is, qui eſt de formandis Conçionibus. Quippe materies ei ad explicandum deſtinata, Prophetia eſt: eximium verè donum, ſi vel dignitate metiamur eam, vel uſu. Dignitas ex eo conſtabit, quòd velut Domina, quadrigis vecta fertur ſublimiùs: ubi cætera & linguarum & artium dona, huic ex longo intervallo ancillentur.

Dignitati quoq; duplex respondet usus: unus quòd Ecclesiam colligat, & numerum electorum compleat: alter, quòd lupos arceat à caulis Domini. Hæc enim verè est illa Flexanima, quâ mentes hominum repugnantes, ex impia & immani vita ad Christianam fidem & resipiscentiam mitigantur. Hæc etiam illa est machina, quæ ut veteres concussit hæreses, ita etiam paucis jam elapsis annis Antichristi illius nervos execuit. Vnde si quæratur, quod donum excellat unum ex omnibus, Prophetiæ certè palma danda est. Quanto verò quæq; res illustrior est, tanto diligentiùs excolenda præceptorum varietate & copia. Idcirco, quùm animadverterem hunc locum à multis tractari sic, ut si reliquæ artes sua repeterent, nudus ille & inops maneret: replicui Theologorum libros: & regulis inde collectis eam substravi, quam utiliorem judicavi methodum: ut adusum meliores possent esse, & ad memoriam aptiores. Emitto etiam in lucem eas, ut si quid recti attulerint, probentur: si vitiosi quid, vapulent, & de erratis pœnas vel ungue vel astericisco luant. Et qui squis has dignaris legere, ubi certus es de ista, quam tracto, Concionandi via, perge mecum: ubi hæres in bivio, quære

mecum

mecum: ubi deflexus tuos videris, redito ad me: ubi meos, revocato me. Quod enim mihi jam placet, ne placebit quidem, si pijs & moderatis hominibus non placeat. Sed si conatum nostrum qui squam, utcunq; perexilem arroserit, idunum agi tantùm sciat, ut prosim Ecclesiæ Dei: factiq; mei conscientiam esse everriculum calumniarum omnium. Deo jam vos commendo: Propheticam hanc, & vobis & Deo. Anno salutis. CIↃ. IↃ. XCII. Decemb. 12.

GVLIELMVS
PERKINSVS.

DE PROPHETICA.

CAP. I.

PROPHETICA eſt doctrina ſacra rectè Prophetiam exercendi.

Prophetia eſt publicus, & ſolennis Prophetæ ſermo, ad cultum Dei & proximi ſalutem pertinens. 1. Cor. 14. 3. *Qui autem prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem, & conſolationem.* Verſ. 23. *Si omnes prophetent, ingrediatur autem infidelis quiſpiam aut idiota, arguitur ab omnibus, dijudicatur* [ἀνακρίνεται] *ab omnibus.* Rom. 1. 9. *Teſtis mihi Deus, cui ſervio* [λατρεύω] *ſpiritu meo in Evangelio filij ipſius.*

CAP. II.

DE PRAEDICATIONE verbi.

PRophetiæ duæ ſunt partes: Prædicatio verbi, Conceptio precum.

Nam Prophetæ, id eſt, Miniſtri verbi, duo tantùm in dicendo ſunt munera: Prædicare verbum, & Deum populi nomine orare. Rom. 12. 6. *Habentes prophetiam prophetemus pro proportione fidei.* Gene. 20. 7. *Reſtitue uxorem illius viri: Propheta enim eſt, quumq; oraverit pro te, vives.* Hac de cauſa Prophetiæ nomen etiam precibus tribuitur. 1. Chron. 25. 1. *Filij Aſaphi, & Hemanis, & Ieduthunis, qui erant cantores* prophetabant *citharis, & nablijs, & Cymbalis.* 1. Regum. 18. 26. *Prophetæ Baalis invocabant eum à mane uſque ad meridiem.* 29. *Fuit, quùm præteriſſet meridies, ut* prophetarent *uſque dum offertur munus.*

Et

Et Propheta omnis partim vox Dei est, nimirum prædicando: partim vox populi, precando, Ierem. 15.19. *Et ſi eduxeris pretioſum à vili, tanquam* os meum eris. Nehem. 8.7. *Et benedixit Hezra Domino Deo magno, & reſpondérunt omnis populus, Amen.*

Prædicatio verbi, est Prophetia Christi nomine, & vice habita, qua vocantur homines ad statum gratiæ, & in eodem conservantur. 2. Cor. 5.19. *Poſuiq; in vobis ſermonem reconciliationis.* 20. *Itaq; nomine Chriſti legatione fungimur, & velut Deo vos precante per nos, oramus Chriſti nomine reconciliemini Deo.* 2. Thess. 2.14. *Elegit vos ab initio ad ſalutem per ſanctificationem ſpiritus, & fidem habitam veritati: qua vocavit nos per Evangelium noſtrum.* Rom. 1.16. *Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem cuivis credenti.* Prov. 29.18. *Quùm non eſt viſio nudatur populus.* Rom. 10.14.

CAP.

CAP. III.

De verbo Dei.

Rædicationis objectum adæquatum est verbum Dei. Luc.16.29. *Habent Mosem & Prophetas: audiant eos.* Matth. 23.2. *In Cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi*, id est, Mosis doctrinam quam profitentur, docent. *Omnia ergò quæ dixerint vobis ut servetis, servate & facite.*

Verbum Dei est sapientia Dei de veritate, quæ est secundum pietatem descendens supernè, Iam.3.17. *Quæ autem supernè est sapientia primùm quidem pura est, &c.* Titus 1.1. *Paulus servus Dei &c. Secundum agnitionem veritatis, quæ est secundum pietatem.*

Verbi miranda est excellentia, quæ partim ejus naturâ, partim operatione cernitur.

Excellentia naturæ, est vel Perfectio vel Æternitas.

Perfectio est vel Sufficientia vel Puritas. Sufficientia est, qua verbum Dei ita completum est, ut nihil vel addi vel demi possit, quod

quod ad finem ejus proprium pertineat, Psal, 19.7. *Lex Domini perfecta convertens animam.* Deut. 12.32. *Vnamquamq; rem quam ego præcipio vobis, eam observantes facite: ne addito ei, neq; detrahito ex ea.* Reuel.22. 18,19. Puritas est, quo integrum in se, fraudis & erroris expers manet. Psal. 12. 6. *Eloquia Iehovæ eloquia pura sunt: argentum purgatum in catino lectissimo terræ, defæcatum septies.*

Æternitas verbi est, qua inuiolatum permanet, nec præterire potest, usque dum id omne quod præcipit penitus impletũ fuerit, Mat. 5.18.

Excellẽtia operationis, qua vim habet, I. discernendi spiritum hominis, Heb. 4.12. *Viuus sermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio ancipiti: ac pertingit usque ad diuisionem animæ simul ac spiritus compagumq; & medullarum: & dijudicat cogitationes & conceptiones cordis.* II. Ligandi conscientiam. Iam. 4.12. *Vnus legislator est, qui potest seruare & perdere.* Isa. 33.22. *Iehova vindex noster, Iehova legislator noster, Iehova rex noster, ipse seruabit vos.* Ligare conscientiam, est eam cogere ut vel accuset vel excuset nos de peccato apud Deum.

Verbum

Verbum eſt in ſacra Scriptura.

Scriptura eſt verbum Dei ſcriptum lingua Eccleſiæ conveniente per homines immediatè vocatos, ut eſſent Amanuenſes Spiritus ſancti. 2. Pet. 1. 21. *Non enim libidine hominis allata eſt olim Prophetia, ſed* [φερόμενοι] *acti à Spiritu Sancto loquuti ſunt, ſancti Dei homines.*

Canonica dicitur, quia eſt tanquam Canon, id eſt, amuſsis vel perpendiculum architecti, cujus ope & invenienda primùm, tum deinde exploranda veritas. Galat. 6. 16. *Et quicunq;* [κανόνι τούτῳ] *ſecundum hanc regulam incedent.* Itaque ſupremum & abſolutum de Eccleſiæ controverſiis judicium huic deferendum eſt.

Summa Scripturæ tali ſyllogiſmo continetur. *Verus Meſsias erit & Deus & homo è ſemine Davidis, naſcetur ex virgine, Evangelium proferet è ſinu patris, legi fatisfaciet, oblationem ſui ipſius offeret propeccatis credentium, mortem moriendo & reſurgendo vincet, aſcendet in cælum, & ſuo tempore redibit ad judicium. Talis autem eſt Ieſus Nazaræus filius Mariæ: is ergo eſt verus Meſsias.*

Hic

Hic major est scopus siue status principalis in omnibus scriptis Prophetarum, & minor in scriptis Evangelistarum & Apostolorum.

Scriptura est, aut Novum testamentum aut Vetus.

Vetus testamentum, est prima pars Scripturæ, per Prophetas exaratum sermone Hebræo vel saltem Chaldæo, vetus illud operum fædus inprimis explicans, Luc. 16. 29. & 24. 27. *Et exorsus à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso scriptæ erant.*

Distinguitur libris, qui sunt vel Historici, vel Dogmatici, vel Prophetici.

Historici sunt narrationes de rebus gestis ad doctrinam in libris aliis positam & illustrandam & confirmandam. 1. Cor. 10. 10. *Hæc autem omnia [τύποι] typicè eveniebant ijs: scripta sunt verò ad nostri admonitionem.* Rom. 15. 4. *Nam quæ ante scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.*

Hi numero sunt quindecim.

I Genesis historia est de creatione, lapsu, promissione, statuque Ecclesiæ priuatis familiis conservatæ.

II Exo-

II. Exodus, hiſtoria de Iſraëlitarum Ægyptiaca liberatione, exitu, legis promulgatione, Tabernaculo.

III. Leuiticus, hiſtoria de Ceremoniali cultu.

IV. Liber Num. hiſtoria de militari profectione in terram Canaan.

V. Deuteronomium, commentarius eſt leges è prædictis libris & repetens & explicans.

VI. Liber Ioſuæ, hiſtoria de introitu & poſſeſsione terræ Canaan ſub Ioſua.

VII. Liber Iudicum, hiſtoria de corrupto & calamitoſo ſtatu eccleſiæ & Reipub. Iſraëliticæ à Ioſua ad Eli.

VII. Liber Ruth, hiſtoria de nuptiis & poſteritate Ruth.

X Liber primus & ſecundus Samuelis, hiſtoria ſub Eli & Samuele ſacerdotibus, Saule & Dauide regibus.

XII. Liber primus & ſecundus Regum, hiſtoria de rebus geſtis ſub regibus Iſraëlis & Iudæ.

XIV. Liber primus & ſecundus Chronicorum, hiſtoria methodica de initio, incre-

mento

mento & ruina gentis Israëliticæ ad lineam Christi explicandam.

XV. Liber Ezræ, historia de redditu è captiuitate Babylonica, & restitutione ciuitatis incipienda.

XVI. Liber Nehemiæ, historia de perficienda restitutione ciuitatis.

XVII. Liber Hesteræ, historia de conseruatione Ecclesiæ Iudaicæ in Persia per Hesteram.

XVIII. Liber Iobi, historia de tentationum causis, deinde de conflictu ejus multiplici, postremò de felici exitu.

Libri dogmatici sunt, qui Theologiæ doctrinam præcipiunt.

Hi numero quatuor.

I. Liber Psalmorum, qui continet sacras odas omni & Ecclesiæ & populorum condicioni aptandas, similitérque cum gratia in corde psallendas. Coloss. 3. 16.

II. Liber Prouerbiorum, est Christiana Ethice de pietate in Deum, & justitia in proximum.

III. Ecclesiastes, de vanitate rerum humanarum omnium, quatenus earum usus expers est timoris Dei.

IV. Can-

IV. Canticum Canticorum, de mutua communione Christi cum Ecclesia sub allegoria sponsi & sponsæ.

Libri Prophetici sunt prædictiones, vel de judiciis Dei ob peccata populorum, vel de liberatione Ecclesiæ, Christi adventu perficienda.

His autem prædictionibus resipiscentiæ doctrinam immiscent, & resipiscentibus consolationes in Christo ferè semper adjiciunt.

His quoque mos est prolixas quas habebant conciones, κατ' ἐπιτομὴν proponere ad audientium memoriam & intelligentiam juvandam. Esa. 8. 1. *Edixit autem Iehova mihi, sume tibi volumen magnum, & scribe in eo stylo humano.* Habac. 2. 2. *Scribe visionem, & quidem perspicuè in istis tabulis, ut percurrat lecturus eam.*

Prophetiæ sunt vel Majores vel Minores.

Majores sunt, quæ prædicta omnia uberiùs præstant. Vt, Prophetia Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, Danielis.

Huc pertinent Lamentationes Ieremiæ, de miseria populi Iudaici circa tempora mortis Iosiæ.

Prophe-

Prophetiæ minores sunt, quæ prædicta omnia vel saltem eorum quædam strictiùs præstant: ut prophetia Oseæ, Ioëlis, Amosi, Obodiæ, Ionæ, Micheæ, Nahumi, Habakuki, Zephaniæ, Haggæi, Zachariæ, Malachiæ.

Hæc de veteri Testamento.

Novum Testamentum est secunda pars Scripturæ græco sermone scriptum per Apostolos, vel saltem ab ijs approbatum, novi fœderis doctrinam explicatè proponens. Ephes. 2.20. *Superstructi super fundamentum Prophetarum & Apostolorum.*

Marci Euangelium approbavit Petrus: quo dictante scriptum fuit à Marco, ut vult Niceph. 2. c. 45. Et Lucæ Evangelium approbavit Iohannes Euangelista. Leue est quod ab Eusebio refertur: Euangelij, quod Lucæ dicitur, authorem fuisse *Paulum* è locis duobus. 2. Timoth. 2. 8. & Rom. 2. 16. Hic enim non de certo libro, sed de toto ministerio loquitur: nam addit, *Pro quo laboro usq; ad vincula.*

Continet partim Historias, partim Epistolas. Historiæ sunt

I. Quatuor Evangelia: Matthæi. Marci, Lucæ, Iohannis: quæ sunt, historia de

Christi in mundum exhibiti vita, gestis, doctrina, à conceptione usque ad ascensionem in coelum.

Quatuor autem sunt scriptores, auriti duo: alij etiam oculati duo: ut plenioremde historiæ veritate fidem facerent.

Evangelistarum discrimen sic est. Matthæus doctrinas Christi explicat. Marcus historiæ brevitatem sectatur: neque tamen epitomen confecit Evangelij à Matthæo scripti, sicut Hieronymus putavit: quia ab initio tractandi ratione est dissimilis: in progressu alium ordinem sequitur, partim res uberius tractando, partim novas interserendo. Lucas historiam plenam & certo ordine descriptam intendit. Iohannes in explicanda Christi Deitate & fructu, qui inde ad nos provenit, ferè totus est.

Hieronymus Evangelistas ab exordijs distinguit. Matthæum similem dicit esse homini, quòd ab humanitate Christi orditur: Marcum leoni, quòd à prædicatione Iohannis, quæ fuit quasi rugitus leonis: Lucam bovi, quòd à Zacharia sacerdote sacrificante: Iohannem aquilæ, quòd quasi altè volans à Deitate Christi incipit.

II. Acta

II. Acta Apostolorum, de gestis præcipuè Petri & Pauli historia descripta: ut extaret exemplar administrandi Ecclesiam. 2. Timoth. 3. 10, 11.

III. Apocalypsis historia prophetica à temporibus Iohannis Apostoli, de statu Ecclesiæ ad finem usque mundi.

Epistolæ sequuntur: primò Pauli tredecem.

I. Ad Romanos, de justificatione, sanctificatione, & officijs vitæ Christianæ.

II. Prima ad Corinth. de reformandis abusibus Ecclesiæ Corinthiacæ.

III. Secunda ad Corinth. inprimis de tuendo se, & Apostolatu suo contra aduersarios.

IIII. Apud Galatas de justificatione fidei sine operibus legis.

V. Ad Coloss. }
VI. Ad Philip. } Confirmant Ecclesias
VII. Ad Ephes. } in doctrina & officijs
VIII. 1. ad Thes. } vitæ Christianæ.
IX. 2. ad Thess. }

X. 1. ad Timoth. } Ecclesiam ritè ordi-
XI. 2. ad Timot. } nandi formam præscribunt.

XII. Ad Titum, de ordinanda Ecclesia Cretensium.

XIII. Ad Philemonem, de recipiendo Onesimo.

Ad Hebræos, de persona & officijs Christi, deque fide bonis operibus fructificante.

Epistola Iacobi de operibus cum fide jungendis.

Epistola Petri prima & secunda de sanctificatione & operibus novæ obedientiæ.

Epistola prima Iohannis, de signis communionis cum Deo.

Epistola secunda Iohannis, ad electam de perseverantia in veritate.

Epistola tertia Iohannis, ad Gaium de hospitalitate & perseverantia in bono.

Epistola Iudæ, de constantia fidei contra pseudoprophetas.

Atq; ita est Canonica Scriptura suis libris distincta.

Eam verò tantùm, aliam non item, verbum Dei esse, probationes sunt firmissimæ.

Probatio alia est ἐπιστημονικὴ, alia verò ἀνεπιστημονικὴ ἐπιστημονικὴ unica tantùm est, nimirùm internum testimonium spiritus Sancti in Scripturis loquentis, intùsque non dictantis modò,

sed

ſed etiam efficaciter perſuadentis hos Scripturæ libros eſſe verbum Dei. Iſa. 59. 21. *Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent ex ore tuo &c. ex hoc tempore uſque in ſeculum.*

Modus ſuadendi ſic eſt. Electi habentes ſpiritum Dei, primò diſcernunt vocem Chriſti in Scripturis loquentis. Deinde quam diſcernunt, probant: quam probant, ei quoque fidunt. Poſtremò, credentes quaſi ſigillo ſpiritus obſignantur. Ephe. 1. 13. *In quo etiam poſtquam credidiſtis, obſignati eſtis ſpiritu illo promiſſionis ſancti.*

Eccleſia verò de Canone teſtari poteſt, ſuadere non poteſt. Nam ita vox Eccleſiæ eſſet firmior Dei voce: & tota ſalutis ratio ab hominibus penderet, quo quid miſerius dici poſſet.

Object. Scriptura per ſe verbum Dei eſt, ſed non eſt nobis, niſi ex judicio Eccleſiæ. *Reſp.* I Futilis diſtinctio. Nam prima pars ejus oſtendit modum quo Scriptura eſt verbum Dei: altera non modum, ſed perſonam cui. II. Scriptura etiam ipſa de re teſtatur, eo teſtimonij genere, quod vel omnibus hominum juramentis certius eſt. Nam Spiritus Sancti

in Scriptura loquentis vocem habemus: qui etiam, quando verſamur in audiendo, legendo, meditando, quandam de Scripturis πληροφορίαν in cordibus noſtris efficit. Et non credimus quia Eccleſia dicit aliquid credendum: ſed quia id quod dicit Eccleſia, prior dixit ſcriptura, propterea credimus. Imò Eccleſia non poteſt ſtare, vel etiam cogitari ſine fide: fides non eſt ſine verbo: quod ipſum eſt norma vel objectum fidei: & non judicium, vel ſanctiſsimorum hominum. III. Qui de Scripturis dubitat, perinde de Eccleſiæ teſtimonio dubitabit.

Object. II. Eccleſia habet judicium determinativum. Act. 15. 28. viſum eſt Spiritu Sancto, & nobis. *Reſp. I.* Iudicium ſupremum de rebus fidei, eſt penes Spiritum Sanctum in Scripturis loquentem: Eccleſiæ tantùm judicandi miniſterium datum eſt: quia judicare debet ſecundum Scripturas: & quia ſemper hoc non facit, aliquando labitur. II. Concilio, quod fuit Hieroſolymis interfuerunt Apoſtoli, qui authoritatem habuerunt αὐτόπιστον, quam nunc non habet Eccleſiaſticum miniſterium.

Probatio ἀναπόδεικτος eſt, quæ non demonſtrat

ſtrat vel ſuadet, ſed tantùm teſtatur, & certis indicijs approbat verum Canonem. Hæc multiplex eſt.

I. Perpetuus Eccleſiæ conſenſus: Veteris Iudaicæ. Rom.3.2 *Primariũ illud eſt quòd illis credita ſunt eloquia dei.* Nouæ: I. A Chriſto & Apoſtolis, qui ex ijs libris citarunt teſtimonia.

II. A Patribus.

1. Origine, ut teſtatur Euſebius lib. 6. 18. & 23.

2. Melitone, ut idem teſtatur lib. 4.

3. Athanaſio.

4. Cyrillo, ſermone quarto.

5. Cypriano, ſiue potiùs Ruffino in expoſitione Symboli.

6. Hilario, in præfatione in primum Pſalmum.

7. Hieronymo, in Prologo Galeato, & in præfatione in libros Salomonis.

8. Epiphanio, in libro de ponderibus & menſuris.

9. Damaſceno, libro de fide 4. cap. 18.

10. Gregorio Moral. in Iob. lib. 9. cap. 27.

III. Conciliis, Niceno, & Laodiceno. Can. 59.

His quoque adſtipulantur Hugo de S°.

Victore de Sacram. lib. 1. cap. 7. N. Lyra. prologo in libros Apocryphos, Hugo Cardinalis in prologo in Iosuam.

II. Gentium ex parte consensus, & inimicorum eadem asserentium, quæ in sacris libris traduntur.

1 De creatione, Homerus & Plato in Timæo.

2 De Christo, Ioseph. libro 20. Antiq. cap. 6. & 8. Et lib. 5. de bello Iudaico cap. 8. Et lib. 6. cap. 25. 27. 28. 47.

3 De redemptore mundi exhibendo novissimis temporibus, Sybillæ, ut testatur Lactantius lib. 4. cap. 6. Et Cic. lib. 2. de Diuinat. & Virgil. Ecloga. 4.

4 De miraculis Christi, Suetonius in Nerone: & Tacitus lib. 5. & 20.

5 De stella magorum, Plin. lib. 2. & 25.

6 De infanticidio, Macrob. in Saturnal.

7 De morte Herodis Agrippæ, Ioseph. lib. 19. Antiq. cap. 7.

8 De diluvio, Berosus in fragmentis quæ extant. Ioseph. Antiq. libro. 1. cap. 3. & Poëtæ.

9 De turre Babylonica Eupolemus, ut testatur Euseb. de Præparatione Euangelica.

10 De Columba, quam emisit Noë, Plutarchus

chus libr. *quod bruta ſunt rationalia.*

11 De Iaphet filio Noë, Poëtæ multa fabulantur.

12 De ſacrificio Abrahami, Alexander Polihiſt.

13 De miraculis Moſis, Plinius: licet impiè Magum appellet.

III Antiquitas, quippe narrationem continet rerum geſtarum ab initio mundi. Hiſtoriæ verò humanæ omnis, vel antiquiſſimæ, ſcriptor non eſt ullus ante Ezram & Nehemiam, qui fuerunt circa annum mundi, 3500.

IV. Diuinationum euentus certiſsimi, ut ſunt hi: De vocatione Gentium: De Antichriſto: de Iudæorum defectione, &c.

V. Materies: unus verus Deus: verus Dei cultus: Deus Saluator.

VI. Conſenſus omniũ partium Scripturæ.

VII. Miraculoſa conſeruatio Scripturarum in Eccleſiæ periculis & communi apoſtaſia.

VIII. Operatio: nam conuertit homines, & penitùs oppoſita rationi & affectibus hominum, eos tamen ſibi conciliat.

IX. Majeſtatis plena in ſimplicitate verborum.

borum. X. Scriptores ſacri produnt vitia ſua: & Moſes ſeipſum laudat, mitiſsimum omnium dicendo: quòd arguit actos fuiſſe à ſpiritu ſancto. Et Chriſtus Euangelio deſcriptus ſe filium Dei apertiſsimè dicit, & unum cum Deo Patre, & omnem Dei gloriam ſibi vendicat. Quòd niſi verum rectumque fuiſſet, iram Dei cum Adamo & cum Herode ſenſiſſet, qui Dei ſimiles eſſe voluerunt. At contra Deus ipſius necem ultus eſt, & in Herodem, & Iudæos, & Pilatum, & Imperatores, qui Eccleſiam perſequuti ſunt.

Atque ita Scripturæ τεκμήρια ſunt: unde conſtat Tobiti lib. 1. Orationem Manaſsis, Iudithæ lib. 1. Baruci librum 1. Epiſtolam Ieremiæ. Adjectiones ad Danielem. Ezræ lib. 3. & 4. Adjectiones ad librum Heſteræ. Macabæorũ libros duos, librum Sapientiæ, denique Eccleſiaſticum in canone haud eſſe numerandos. Ratio. I. Non ſunt ſcripta à Prophetis. II. Non ſunt ſcripta Hebraicè. III. Chriſtus & Apoſtoli ex his libris teſtimonia non citarunt in nouo teſtamento. IIII. Continent ficta quædam & cum ſcripturis pugnantia.

CAP.

CAP. IIII.

De Interpretatione Scripturarum.

Actenus de objecto prædicationis. Ejus partes ſunt duæ: Apparatus concionis, & Promulgatio. Matt. 13. 52. *Ipſe verò dixit eis, propterea omnis Scriba edoctus in regno cælorum ſimilis eſt cuipiam patrifamiliàs, qui profert è theſauro ſuo vetera & nova.*

In apparatu priuatum ſtudium diligentèr adhibendum eſt. 1. Tim. 4. 13. *Interim dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* 1. Pet. 1. 10. *De qua ſalute inquiſierunt, & quam ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de ventura in vos gratia prophetarunt.* Dan. 9. 2. *Anno primo regni ejus, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum &c.*

De Theologico ſtudio conſilium tale eſto. I. Corpus Theologiæ definitionibus, diuiſionibus, & proprietatum explicationibus deſcriptum,

ſcriptum, & mente & memoria diligentèr imprimito. II Poſteà accede ad legendas Scripturas hoc ordine: adhibita Grammatica, & Rhetorica, & Logica Analyſi, & reliquarum artium ſubſidio, primùm lege epiſtolam Pauli ad Romanos, deinde Euangelium Iohannis: (utpote quæ claues ſunt noui Teſtamenti) & tum demùm reliqui noui Teſtamenti libri inter legendum faciliores erunt. His peractis, veteris Teſtamẽti diſce primùm libros dogmaticos, inprimis Pſalmos: inde propheticos, inprimis Iſaiam: poſtremò hiſtoricos, inprimis Geneſim. Probabile enim eſt, Apoſtolos ac Euangeliſtas Iſaiam & Pſalmos multùm lectitaſſe. Nam non ſunt ulli veteris Teſtamenti libri, è quibus plura teſtimonia adducta legamus. Ex Iſaia loci circiter ſexaginta citãtur: è Pſalmis ſexaginta quatuor. III. Præterea è ſcriptis orthodoxis, non ſolùm nouæ, ſed etiam antiquioris eccleſiæ auxilium accerſendum eſt. Ratio. Satanas, ut eccleſiæ inſtaurationem noſtro ſeculo cœptam impediret, veteres hæreticos ab inferis excitauit. Antitrinitarij enim dogma illud Arij & Sabellij interpolarunt. Anabaptiſtæ, Eſſæorum, Catharorum, Euthuſiaſtarum, &

Donati-

Donatiſtarum ſectas renouant. Swenckfeldiani, Eutychianorum, Euthuſiaſtarum, &c. Menon Ebionis: Papiſtæ, Phariſæorum, Enctatitarum, Tatianorum, Pelagianorum: Libertini, Gnoſticorum, Carpocratianorum: Seruetus, Samoſateni, Arrij, Eutychis, Marcionis, Apollinaris. Poſtremò, ſciſmatici qui reſcindunt ſe ab Euangelicis eccleſijs, Pupiani apud Cyprianum, Audianorum, Donatiſtarum opiniones, facta, & mores recipiunt. Ergò ſimiliter damnationes hæreſium iſtarum non tam nouæ quærendæ, quam veteres illæ è Conciliis & Patribus in uſum noſtrum repetendæ, proque ratis habendæ. V. Inter ſtudendum, neceſſaria quæ occurrunt, & obſeruatione digniora ſunt, aduerſariis ſuè locis communibus recondenda, ut in promptu ſemper habeas & vetera & noua. VI. Ante hæc omnia ardenter orandus eſt Deus, ut his mediis benedicat, & nobis cœcutientibus ſenſum Scripturarum aperiat. Pſalm. 119.18. *Retege oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege tua.* Apoc. 38.18. *Suadeo ut emas tibi aurum &c, & collyrio inungas oculos tuos, ut videas.*

Huc pertinet fabrica locorum communium,

nium, de quibus exile hoc consilium esto. I. Capita locorum communium de omni materie Theologica in promptu habeto. II. Voluminis chartacei paginas anteriores distingue in duas columnas: ijsque singulis in fronte appinge loci unius titulum, aduersa interim pagina vacua manente, quo noua charta addi possit. III. Non cuncta quæ legeris in librum congerenda, sed quæ memoratu digna & rarò obuia sunt: neque authoris verba in locos communes transcribenda, sed historiarum & rerum capita concisis numeris annotanda, ut scias à quo authore cum usus erit, repetas: & in ipso authore punctum appone, quo scias rem ibi tractatam esse in locos relatam. IIII. Quia persæpè quædam ancipiti significatione sese offerunt, ut nescias, in locos si referas, unde repetas, idcirco locis communibus Alphabetarius index adjungendus est. V. Cautio sit, non esse nimium locis fidendum. Non est enim satis in scriptis rem habere, nisi etiam diligenter memoria recondas.

Apparatus duæ sunt partes. Interpretatio, & Ὀρθοτομία.

Interpre-

Interpretatio est ἑπίλυσις vocum sententiarumque scripturæ, ut unus integer & genuinus sensus appareat.

Ecclesia Romana quatuor sensus scripturarum ponit, litteralem, allegoricum, tropologicum, anagogicum: ut in hoc ejus exemplo. *Melchisedech panem & vinum obtulit*. Literalis sensus est, quòd rex Salem milites Abrahæ de via fessos cibis allatis refecerit: Allegoricus, Sacrificum in Missa offerre Christum. Tropologicus, idcircò erogandum aliquid pauperibus. Anagogicus, similiter Christum in cœlo, fidelibus panem vitæ futurum. Verùm hoc de quadruplici sensu commentum explodendum est.

Vnicus omninò sensus, idemque literalis est. Allegoria tantùm est modus quidam eundem sensum enunciandi: Anagoge & Tropologia sunt modi sensum applicandi.

Summus interpres Scripturæ est Spiritus sanctus. 2. Pet. 1. 20. *Si illud primùm noveritis, nullam Prophetiam Scripturæ* [ἰδίας ἐπιλύσεως] *esse propriæ explicationis*. Et, Qui condit legem, legis optimus & supremus interpres est.

Summum

Summum & absolutum medium interpretationis, est ipsa Scriptura, Nehem. 8. 9. *Legebant enim librum illum legem Dei explanatè: & exponendo sensum, dabant intelligentiam per Scripturam ipsam* [*vaiyabhinu bammikra.*]

Scripturæ subordinata media sunt tria: Analogia fidei, Circumstantiæ dati loci, & Collatio locorum.

Analogia fidei est quædam epitome scripturarum ex apertissimis locis collecta. Ejus partes duæ: Prima de fide, quam tractat symbolum Apostolicum. Altera de charitate, quam explicat Decalogus, 2. Tim. 1. *Exemplar* [ὑποτύπωσιν] *teneto sacrorum sermonum, quos à me audisti, cum fide & charitate quæ est in Christo Iesu.*

Circumstantiæ dati loci hæ sunt: Quis? Cui? Qua occasione? Quo tempore? Quo loco? Quo fine? Quid antecedit? Quid sequitur?

Collatio locorum est, quâ loci tanquam paralleli juxtà se ponuntur, ut sensus eorum clariùs eluceſcat, Act. 9. 22. *Saulus autem magis invalescebat, & confundebat Iudeos qui habitabant Damasci,* [συμβιβάζων] *collatis testimo-*

testimonijs, (id est, collatis Scripturæ locis, sicut artifices aliquid compacturi solent singulas partes aptare inter se, ut aliæ alijs ad amussim quadrent) *demonstrans eum esse Christum.*

Collatio duplex. Prima est dati loci cum seipso alibi in sacris libris citato & repetito. ut, Isa. 6.10. *Fac ut pingue sçat cor populi hujus, & aures ejus fac ingraue sçant, oculique ejus fac conniveant: ne videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & sanitas obueniat ei.* Hunc locum sexies repetitum habes in nouo Testamento. Matt. 13.14. Mar. 4.12. Luc. 8.10. Ioh. 12.40. Rom. 11.8. Act. 28.27.

Loci repetiti frequentes mutationes habent varijs de causis: Suntque

Exegoticæ, expositionis gratia.

Psal. 78.	Matth. 13.
2 *Aperiam per parabolam os meum, eructabo occulta* inde ab antiquitate.	35 *Aperiam per parabolas os meum, eructabo occulta* à jactis mundi fundamentis.

Psal. 78	Ioh. 6.
24 Frumentum cœli dedit illis.	31 Panem de cœlo *dedit eis ut vescerentur.*

Isa. 28.	Rom. 9.
16 *Ecce pono in Sione lapidem*: probationis, *angularem pretiosum, fundatione fundatissima. Qui credit non* festinabit.	33 *Ecce pono in Sion lapidem* offendiculi, *& petram offensionis: & quisquis credit in eum, non* pudefiet.

Psal. 110.	1. Cor. 15.
1 Sede ad dextram meam *donec posuero inimicos tuos in scabellum pedum tuorum.*	25 *Oportet enim* Christum regnare, *usq; dum posuerit omnes inimicos ejus sub pedibus ejus.*

Psal. 116.	2. Cor. 4.
10 *Credidi*, quia *loquutus sum.*	13 *Credidi*, ideò *loquutus sum.*

Gen.

Gen. 13.	Gal. 3.
15 *Totam hanc regionem quam vides, tibi dabo & semini tuo usq; in seculum.*	16 *Abrahæ verò dictæ sunt promissiones & semini ejus: non dicit & seminibus, ut de multis, sed ut de uno, & semini tuo, qui est Christus.*

II. Diacriticæ, ut loci, & tempora, & personæ invicem distinguantur.

Mich. 5.	Matt. 6.
1 *Tu autem* Bethleem Ephratæ minima existens *in ducibus Iudæ: ex te mihi exibit qui sit dominator in Israële.*	6 *Tu autem* Bethleem Iudæ, nequaquam minima *es in ducibus Iudæ: ex te enim exibit ductor, qui pascet populum illum meum Israëlem.*

III. Circumscriptiuæ, quæ sensum & sententiam loci verè restringunt, prout fuit mens Spiritus Sancti.

Psal. 78	Ioh. 6.
24 Frumentum cœli dedit illis.	31 Panem de cœlo *dedit eis ut vescerentur.*

Isa. 28.	Rom. 9.
16 *Ecce pono in Sione lapidem*: probationis, *angularem pretiosum, fundatione fundatissima. Qui credit non* festinabit.	33 *Ecce pono in Sion lapidem* offendiculi, *& petram offensionis: & quisquis credit in eum, non* pudefiet.

Psal. 110.	1. Cor. 15.
1 Sede ad dextram meam *donec posuero inimicos tuos in scabellum pedum tuorum.*	25 *Oportet enim* Christum regnare, *usq; dum posuerit omnes inimicos ejus sub pedibus ejus.*

Psal. 116.	2. Cor. 4.
10 *Credidi*, quia *loquutus sum.*	13 *Credidi*, ideò *loquutus sum.*

Gen.

Gen. 13.	Gal. 3.
15 *Totam hanc regionem quam vides, tibi dabo & ſemini tuo uſq; in ſeculum.*	16 *Abrahæ verò dictæ ſunt promiſsiones & ſemini ejus: non dicit & ſeminibus, ut de multis, ſed ut de uno, &* ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.

II. Diacriticæ, ut loci, & tempora, & perſonæ invicem diſtinguantur.

Mich. 5.	Matt. 6.
1 *Tu autem* Bethleem Ephratæ minima exiſtens *in ducibus Iudæ: ex te mihi exibit qui ſit dominator in Iſraële.*	6 *Tu autem* Bethleem Iudæ, nequaquam minima *es in ducibus Iudæ: ex te enim exibit ductor, qui paſcet populum illum meum Iſraëlem.*

III. Circumſcriptiuæ, quæ ſenſum & ſententiam loci verè reſtringunt, prout fuit mens Spiritus Sancti.

Deut. 6.

13 *Iehouam Deum tuum reuereberis, & ipſi ſeruies.*

Matt. 4.

10. *Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſeruies.*

Iſa. 29.

13 *Appropinquat populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis honorat me: cor autem ſuum procul amouet à me: eſtq; reuerentia eorum erga me præcepto hominum.*

Matth. 15.

8. *Quùm appropinquat mihi populus iſte, ore & labijs me honorat, cor autẽ eorũ procul à me amouet.*

9. Fruſtrà *me colunt docentes doctrinas mandata hominum.*

Gene. 2.

24 *Propterea relinquet vir patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, eruntq; in unam carnem.*

Matt. 19.

5. *Et dixiſſe, propterea relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori ſuæ, &* qui duo fuerant *in unam carnem futuri ſunt.*

Iſa.

Isa. 39.	Rom. 11.
20 *Veniet* Sioni *vindex, & reuertentibus à defectione è Iacobo.*	26 *Veniet* ex Sione *liberator ille, & auertet impietates à Iacobo.*

IIII. Applicatoriæ, quibus accommodatur typus ad veritatem: generale ad certam ſpeciem, vel contrà.

Ionæ. 1.	Matt. 12.
7 *Parauerat autem Iehova piſcem magnum, qui abſorberet Ionam, fuitq; Ionas in viſceribus illius piſcis tribus diebus & tribus noctibus.*	39 *Natio mala & adulterina ſignum requirit, ſed ſignum non dabitur ei, niſi ſignum ipſum Ionæ prophetæ.* 40 *Sicut enim fuit Ionas in ventre cæti tres dies & tres noctes*: ita erit filius hominis.

Isa. 61.

1 *Spiritus Domini Iehouæ est super me: propterea unxit me Iehoua ad Euangelizandum pauperibus, misit me ad obligandum eos qui fracti sunt animo, ad proclamandam captiuis libertatem, & vinctis aperturam ergastuli.*

2 *Ad proclamandum annum acceptum Iehouæ.*

Luc. 4.

18 *Spiritus Domini super me est: propterea unxit me ad euangelizandum pauperibus, misit me ad sanandum eos qui sunt contriti corde, prædicandum captiuis dimissionem, &c.*

21 Hodiè impleta est hæc Scriptura vobis audientibus.

Psal. 69.

22 *Dederunt pro alimento meo amarorem, & in siti mea bibendum dederunt mihi acetum.*

Ioh. 19

28 *Vt perficeretur Scriptura, dixit, Sitio.*

29 *Vas igitur illic erat posito aceto plenum. Illi verò impleuerunt spongiam aceto*

	to, & hyſſopo circumpoſitam admouerunt ori ejus.
Exod. 12.	Ioh. 19.
46 *Os ne confringatis ex eo.*	36 *Facta ſunt enim hæc, ut ſcriptura impleretur, non confringetur os ipſius.*
Pſal. 69.	Act. 1.
26 *Sint commorationes eorum deſolatæ, in tentorijs eorum non ſit qui habitet.*	20 *Scriptum eſt enim in libr. pſalmorum, fiet commoratio eius deſerta, & non ſit qui habitet in ea.*

V. Breuitatis gratiâ quædam omittuntur; vel quia rei præſenti non conueniunt.

Zach. 9.	Matt. 21.
9 *Exſulta valdè filia Sionis, clange filia*	8 *Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus ve-*

Hierusalem: ecce rex tuus venit tibi, justus & salute præditus, *pauper & insidens asino & pullo filio asinarum.*	*nit tibi mansuetus & insidens asino & pullo filio subjugis asinæ.*

Secunda collatio est dati loci cum aliis: ijque rursus vel Similares, vel Dissimilares.

Similares sunt, qui certis modis inter se congrui sunt. Congruunt autem loci vel phrasi, vel sententia.

Loci quoad phrasim congrui tales sunt.

Gen. 28.	Ioh. 1.
12 *Eoq; somniante, ecce scalam constitutam in terra, cujus summitas pertingebat ad cœlum, & ecce* angelos Dei ascendentes & descendentes *per eam.*	51 *Prætereà dixit ei, Amen, Amen dico vobis, deinceps videbitis cœlum apertum, &* angelos Dei ascendentes & descendentes *super filium hominis.*

Gen.

Gen. 3.

5 *Inimicitiam pono inter te & mulierem hanc, similiterq; inter semen tuum & semen hujus:* hoc conteret tibi caput: *tu autem conteres huic calcaneum.*

Rom. 16.

15 *Porrò Deus pacis Princeps* conteret *Satanam sub pedes vestros.*

Gen. 8.

20 *Posteà exstruxit Noah altare Iehovæ: & accipiens ex omnibus mundis &c. obtulit holocausta Iehovæ.*

21 *Quumq;* odoratus esset Iehova odorem quietis, *dixit.*

Ephes. 5.

1 *Sicut & Christus dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis oblationem & victimam Deo,* in odorem fragrantiæ.

His exquirendis optimè inserviunt concordantiæ Græcæ & Hebraicæ.

Loci

Loci ſenſu congrui ſunt, quorum eadem eſt ſententia. Hîc excellit collatio loci generalis cum exemplo ſpeciali in eodem genere. ut,

Prov. 28.	Pſal. 32.
13 *Qui tegit deſectiones ſuas non proſperabitur: qui verò fatetur & derelinquit, afficietur miſericordia.*	3 *Quùm ſilerem inueterabãt oſſa mea, &c.* 4 *Peccatum meum notum tibi faciebam, & iniquitatem meam non tegebã: dixi, &c. & tu ſuſtuliſti iniquitatem peccati mei.*
2. Sam. 15.	1. Pet. 5.
25 *Edixit Rex Zadoco, reduc arcam Domini in ciuitatẽ: ſi inuenero gratiam in oculis Iehovæ utiq; reducet me, & faciet ut reuiſam ſe & habitaculum ſuum.*	6 *Submittite igitur vos ipſos potenti manui Dei, ut vos in tempore extollat.*

26 *Quòd si ita dixerit, cum delector te: ecce me, faciat mihi prout bonum videtur in oculis suis.*

Locos in hoc genere plurimos in communibus locis *Marlorati* diligenter conquisitos in promptu habebis.

Hactenus de locis Similaribus. Dissimilares sunt qui vel phrasi vel sententiâ in speciem non congruunt: ut,

Rom. 3.	Iac. 2.
28 *Colligimus igitur, fide justificari hominem absq; operibus legis.*	24 *Videtis igitur ex operibus justificari hominem & non ex fide tantùm.*

1. Reg. 9.	2. Chron. 8.
28 *Qui profecti Ophirum acceperunt inde quadringenta viginti talenta, quæ attulerunt ad regem Salomonem.*	30 *Qui abeuntes cum seruis suis Ophyrum acceperunt inde quadraginta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ea ad regem Salomonem.*

Act.

Act. 7.

14 *Missis autem nuntijs Ioseph accersivit patrem suum Iacob, omnemq́, cognationem suam capitum* septuaginta quinque.

Gen. 46.

27 *Omnes animæ familiæ Iacobi quæ venit in Aegyptum sunt* septuaginta.

Act. 7.

16 *Et translati sunt in Sichem, & positi in monumento quod emerat Abraham pretio argẽti à filijs Emmor patris Sichem.*

Gen. 48.

22 *Ego* [*nimirum Iacob*] *do tibi partem unam supra fratres tuos, quam cepi è manu Emmoræi gladio meo & arcu meo.*

Zachar. 4.

13 *Itaque accipiens triginta illos argenteos conjeci eam pecuniam à Domo Iehovæ ad figulum.*

Matt. 27.

9 *Tum impletum est quod dictum erat* per Ieremiam *Prophetam, dicentem, & acceperunt triginta siclos argenteos &c.*

CAP.

CAP. II.

De Modis Interpretandi.

ODI interpretationis ſunt prout fuerint loci Scripturæ qui ſunt tranctandi.

Loci ſunt Analogi vel Cryptici.

Analogi ſunt, qui apertum prima ſpecie ſenſum habent analogiæ fidei congruum. De his Canon talis eſt.

Si nativa ſignificatio verborum dati loci, congrut cum circumſtantijs ejuſdem loci, genuinus loci ſenſus eſt.

Exemplum.

Act. 10. 43. *Huic etiam omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen ejus, quemvis qui crediderit in eum.* Apertiſsima eſt ſignificatio verborum

verborum iſtius loci, Ieſum Chriſtum dare juſtitiam & æternam vitam credentibus in eum. Hanc autem, quia Analogiæ fidei & Scripturis ſacris ubique conſentaneam eſſe videmus, nulla cunctatione adhibita ſtatim agnoſcimus.

Sciendum autem eſt, omne dogma fidei & morum ad ſalutem neceſſarium in Scripturis clariſsimè tradi.

Loci Cryptici, ſunt loci difficiles & obſcuri, de quibus interpretandis hic Canon eſto.

Si nativa ſignificatio verborum, vel cum analogia fidei, vel cum apertiſsimis ſcripturæ locis in ſpeciem pugnet: tum dati loci datus alter ſenſus cum locis oppoſitis, cum ſimilaribus, cum circumſtantijs & verbis loci, cum natura rei qua de agitur congruus, genuinus eſt.

Exemplum.

1. Cor. 11. 24. *Hoc meum eſt corpus, quod pro vobis frangitur.*

Datus

Datus ſenſus.

Hic panis eſt revera & propriè corpus Chriſti : nimirum per conuerſionem : vel, corpus Chriſti eſt in, ſub, cum pane.

Incongruentia dati ſenſus

Τὸ ῥητὸν hoc loco ſeruatum pugnat cum articulo fidei, *Aſcendit in cælum*, & cum natura Sacramenti quod Μνημόσυνον eſſe debet corporis Chriſti abſentis. Ergò novus ſenſus quærendus eſt.

Novus ſenſus.

Hîc panis eſt ſymbolum corporis mei: per Metonymiam ſubjecti pro adjuncto.

Noui ſenſus congruentia.

I *Cum Analogia fidei.*

1 Verè *aſcendit in cælum*, hoc eſt, ſublatus à terra in cœlum localitèr & viſibilitèr. Corpus ergò non ore in cœna percipiendum, ſed fide in cœlo.

2 *Natus*

2 *Natus è virgine Maria, &c.* Ergò verum & naturale corpus habuit, longum, latum, altum, alicubi ſitum & loco circumſcriptum: unde conſtat panem in cœna non propriè ipſum corpus, ſed ejus tantùm ſymbolum eſſe poſſe.

II. *Cum circumſtantijs dati loci.*

1 *Accepit, fregit.* Hìc non eſt veriſimile Chriſtum inter diſcipulos ſedentem, ſuis manibus proprium corpus accepiſſe & fregiſſe. Ergò panis tantùm ſignum & ſigillum eſt.

2 *Traditum pro vobis.* Panis nullo modo dici poteſt traditus eſſe pro nobis, ſed Chriſti corpus: ergo panis ſecundum τὸ ῥητὸν non eſt corpus, ſed ſymbolicè.

3 *Poculum eſt novum Teſtamentum*, non propriè, ſed per Metonymiam: ergo nihil impedit, quin ſimilitèr metonymia ſit in his verbis, Hoc eſt corpus meum.

4 Chriſtus ipſe panem comedit, non tamen corpus ſuum.

5 *Hoc facite in mei recordationem*: ergo Chriſtus non corporalitèr ori præſens, ſed ſpiritualiter fidei cordis adeſt.

6 *Donec veniat*. Ergo Chriſtus abſens corpore.

corpore.

7. Christus non dixit, sub specie panis, vel in pane: sed hoc, id est, hic panis est corpus meum.

III. *Cum natura Sacramenti*: in quo ponenda analogia inter signum & rem significatam: quæ nulla esse potest, si panis est propriè corpus.

IIII. Cum locis similibus.

Gene. 17. 10. *Hoc est fœdus meum inter me & vos, &c. Circumcidetis igitur carnem preputij vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos.*

1. Cor. 10. 4. *Bibebant ex sequenti spirituali Petra: Petra verò erat Christus.*

Rom. 9. 11. *Et signum accepit circumcisionis, quod obsignaret justitiam fidei.*

Exod. 22. 11. *Agnus est pesach.* 1. *transitus.* vers. 13. *Agnus est signum transitus.*

Act. 22. *Baptismus ablutio peccatorum.*

Ioh. 6. 35. *Dixit autem ijs Iesus, Ego sum panis ille vitæ, qui venit ad me nequaquam esuriet: & qui credit in me non sitiet unquam.*

1. Cor. 10. 16. *Poculum benedictionis cui benedicimus, nonnè Communio sanguinis*

Christi est? Panis quem frangimus, nonnè communio corporis Christi est? 1. *Signum Communionis.*

V. Congruit cum præceptis Logicæ. Nam disparatum de disparato non dicitur, nisi per tropologiam.

VI. Conuenit cum recepta consuetudine loquendi. Sic ponimus fasces pro imperio; sceptrum pro regno: togam pro pace: lauream pro triumpho: ut apud Tullium.

Cedant armatogæ, concedat laurea linguæ.

Ergò hic alter sensus genuinus est.

Ex isto fœcundo Canone multa nascuntur cõsectaria intelligendis scripturis necessaria.

I. Ellipsis cujusque supplementum analogiæ fidei, circumstantijs loci eiusque verbis congruum, dato loco congruum est.

Exemplum esto. Ephes. 3. 1. *Hujus rei gratia, Ego Paulus captivus ille Iesu Christi pro vobis Gentibus.* Oratio est elliptica. Ergò explenda est constructio: & detur supplementum. [*Legatione fungar*] *pro vobis gentibus.*

tibus. Non conuenit, quia Paulus non pro gentibus, sed pro Christo legatione fungebatur. Detur aliud. [*Gloriatus sum*] *pro vobis Gentibus.* Verùm hoc paulò audacius videatur, neque simile quid alibi in Scripturis occurrit. Ergò commodè suppleatur oratio hoc modo. *Hujus rei gratia ego Paulus* [*sum*] *captivus ille Iesu Christi pro vobis Gentibus.*

Idem de cæteris dicendum.

Oratio elliptica.	Supplementum.
Isa. 1.	
13 *Non possum iniquitatem.*	*Non possum* [ferre] *iniquitatem.*
Luc. 13.	
9 *Etsi quidem tulerit fructum: sin minùs in futurum excindes eam.*	*Etsi quidem tulerit fructum,* [dimittes:] *sin minùs in futurum excindes eam.*

Exod. 4.

25 *Sed accipiens Zippora acutum, amputavit præputium filij sui.*

Sed accipiens Zippora (cultrum) *acutum, amputauit, &c.*

2. Sam. 21.

26 *Isbi Bened, qui è natis cujusdam gigantis, cujus mucronis pondus trecentorum cyclorum pondus, ex chalybe, & accinctus novo.*

Isbi Benod, qui [erat] *è natis cujusdam gigantis, cujus mucronis pondus* [erat] *trecentorum cyclorum pondus, ex chalybe* [eratque] *accinctus novo* [gladio.]

1. Cor. 9.

15 *Porrò qui ſquis certat in omnibus eſt continens. Illi quidem igitur ut perituram coronam accipiant: nos autem ut incorruptam*

Illi quidem igitur, ut perituram coronam accipiant [ſunt continentes,] *nos ut incorruptam.*

Exod. 19.

4 *Vos vidiſtis quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum.*

Portauerim vos [quaſi] *ſuper alas aquilarum.*

II. Si

II Si dati loci datus alter sensus, habet mutationem nominis pro nomine, loci verba tropum continent.

Hinc de tropis sacris cautiones multæ oriuntur.

1 Anthropopathia est sacra Metaphora, qua de homine dicta propriè, deo per similitudinē tribuuntur. Hinc anima Dei pro vita vel essentia. Ierem. 5. 29. *An de gente hujusmodi ultionem non sumeret anima mea?* Caput de principe. 1. Cor. 11. 3. *Deus caput Christi.* Facies pro favore vel ira. Psal. 30. 8. *Te abscondente faciem tuam fui conturbatus.* & 34. 17. *Irata facies Iehovæ ad facientes malum.* Oculi pro furore & prouidentia. Psal. 34. 16. *Oculi Iehovæ ad justos.* Pupilla pro re charissima. Zach. 2. 8. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Aures, pro acceptatione precum. Nares, pro indignatione: Manus, pro potentia & protectione. Brachium, pro robore & fortitudine. Dextra, pro imperio & potestate. Digitus, pro virtute. Pes, pro imperio & robore. Psal. 110. 3. Odoratus, pro rei acceptatione. Gene. 8. 21. *Odoratus est odorem quietis.* Pœnitentia, pro rerum & actionum mutatio-

neà Deo facta.

2 Metonymia Sacramentalis est, qua nomen adjuncti simul & causæ adjuvantis ponitur pro re Sacramenti: vel symbolum pro re significata, & contra. Gene. 2. 17. *Arbor vitæ, arbor scientiæ boni & mali.* i. Arbor quæ signum est horum. Gene. 17. 10, 11. *Circumcisio & fœdus dicitur & signum fœderis.* Genes. 21. 14. Vocauit Abraham nomen loci illius *Deus prouidebit.* i. Signum quod Iehoua prouidebit. Gene. 28. 22. Strues lapidum dicitur *Domus Dei.* Exod. 12. Agnus paschalis est *pesach, transitus.* Exod. 17. 15. Altare est *Iehoua vexillum meum.* Ezech. 48. Hierosolyma est *Iehoua illic.* Leuit. 16. Sacerdos expiator. Iohan. 1. Christus agnus. Ecce *agnus ille qui tollit peccata mundi.* Agnus paschalis est Christus. 2. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Iesus Christus.* Et ibidem, Christiani sunt *azimi.* Rom. 3. 25. Christus est ἱλαστηριον i. propitiatorium, siue arcæ fœderis operculum. 1. Cor. 10. Christiani sunt *unus panis.* Et petra est Christus. Tit. 3. Baptismus est *lauacrum* regenerationis. 1. Cor.

11. Calix est *novum Testamentum*, & panis est corpus Christi.

3. Κοινωνία ἰδιωμάτων est Synecdoche, qua propter personalem unionem id de integra persona Christi prædicatur, quod alteri naturæ proprie conuenit. Act. 20. 28. *Ad pascendam ecclesiam Dei, quam proprio illa, sanguine acquisiuit.* Iohan. 3. 13. *Nullus enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit e cœlo filius qui est in cœlo.* 1 Corinth. 2. 8. *Nam si cognouissent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Iohan. 8. 58. *Amen, amen dico vobis, priusquam Abraham fieret, ego sum.* Luc. 2. 52. *Iesus autem proficiebat sapientia & statura & gratia apud Deum & homines.*

Hæc communicatio idiomatum locum habet tantum in concreto non abstracto. Concretum est nomen integræ personæ: ut Deus, Homo, Christus, &c. Abstractum est nomen alterius naturæ separatim consideratæ: ut Deitas, Humanitas, &c.

4. Dicta de Deo quæ speciem mali præ se ferunt, per operantem permissionem intelligēda.

Nehem. 9.37. *Nam prouentum suum effert regibus* quos præposuisti *nobis* propter peccata nostra: *etiam in corpora nostra dominantur, & in jumenta nostra pro voluntate sua, adeò ut in angustia magna simus.* Isa. 19.14. *Iehova* miscente *in medio ejus* spiritum perversitatum, *facient ut erret Ægyptus in omni opere suo.* Exod. 4. & 9. & 11. & 14. *Deus* indurat *cor Pharaonis.* Deut. 2.30. Obdurauit *deus tuus spiritum eius, & obfirmavit animum eius, ut traderet illum in manum tuam, sicut est hoc tempore.* Ios. 11.20. A Iehova fuit *quòd* obfirmabant *animum suum ad occurrendum bello Israëli, ut interneciòni devoverent illas, nec fieret illis gratia, sed perderet illas.* 1. Sam. 2.25. *Non auscultarunt voci patris sui,* quia Iehoua *volebat illos perdere.* 2. Chron. 22.7. *Sed à Deo fuit* proculcatio *Achazia.* Psal. 105.25. Mutauit *animum istorum ut* odio haberent *populum suum, ut machinarentur contra seruos suos.* Rom. 1.28. Tradidit eos *Deus in mentem reprobam.* 2. Thess. 2.11. Mittet *illis Deus* efficaciam illusionis, *ut credant mendacio.* Ezech. 14.9. *Ipse autem Propheta cùm pellectus fuerit ut eloquatur verbum:* Ego Iehoua pellexero *Prophetam ipsum, &*

extendens

extendens manum meam contra ipſum, perdam ipſum è medio populi mei.

5 Dicta completivè, ſi nondum completa ſunt inchoativè intelligenda. Geneſ. 4. 32. *Quum autem Noah natus eſſet 500 annos, genuit Shemum, Chamum, & Iaphethum, id eſt*, cœpit gignere. Gen. 11. 26. *Therah vixerat ſeptuaginta annis: quùm genuit Abrahamum, Nachorem, & Aranem.* & 1. Reg. 6. 2, 37. Pſal. 119. 8. *Statuta tua ob ſervabo ne derelinquas me*, de conatu intelligendum, ut Phil. 3. 12. *Nedum ut jam metam apprehenderim, aut jam perfectus ſim: ſed perſequar, experiens an quoq; apprehendam: cujus etiam rei cauſa apprehenſus ſum à Ieſu Chriſto.* verſ. 15. *Quotquot itaq; perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Luc. 1. 6. *Erant autem juſti ambo in conſpectu Dei incedentes in omnibus mandatis & conſtitutionibus inculpatè.*

6 Leges morales, ſub peccato nominatim definito, omnia peccata ejuſdem generis, cauſas eorum, occaſiones, irritamenta, & oppoſitas virtutes ſignificant. Sic enim Chriſtus leges morales interpretatur. Matth. 5. 2. ad finem uſque. 1 Joh. 3. 15. *Qui odit fratrem homicida eſt.*

7 *Mine*

7 Minæ & promissiones cum suis conditionibus intelligendæ: illæ fidei & resipiscentiæ: hæ, præsertim si corporales fuerint, cum exceptione castigationis & crucis. Ezech. 33.14. *Et quum dixero impio, omninò morieris: si reuersus à peccato suo exercuerit judicium & justitiam &c. omninò viuet, non morietur.* Apoc. 21.8. *Timidis & incredulis, & execrabilibus, & homicidis, & scortatoribus, veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars assignata est in stagno ardenti igni & sulphure, quod est mors secunda.* at vers. 6. promissionem addit. *Ego sitienti dabo ex fonte aquæ viuæ gratis.* Ionæ 3.5. *Et proclamauit dicens: adhuc quadraginta dies, deinde Ninive subuertetur.* Ex sequentibus apparet conditionem intelligendam. Ierem. 18.9.

His similia exempla sunt. Isa. 38.1. de Ezechia. *Da præcepta familiæ tuæ: nam tu breui morituus es, ac non viues.* Subintelligenda conditio voluntatis diuinæ. Gen. 20.3. Dominus Abimelecho, quia Abrahami uxorem ad se rapuerat, ait: *Ecce tu morieris, propter mulierem quam accepisti*: excipe, nisi restituas.

Hinc

Hinc natu eſt in ſcholis diſtinctio voluntatis ſigni & beneplaciti. Voluntas beneplaciti eſt, qua quædã abſolutè & ſimpliciter abſque ulla conditione vult Deus, ut mundum creari & regi, mitti filium. Voluntas ſigni eſt, quà vult quædam ſed propter aliud & cum conditione: & ſic dicitur, quòd conditio apposita ſignum ſit, Deum ſic velle.

8 Oratio ſuperlatiua aut excluſiua de una perſona uſurpata, non excludit alias diuinitatis perſonas, ſed creaturas & fictitia numina quibus verus Deus ſiue in una ſiue pluribus perſonis opponitur. Iohan. 17. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, ut te ſolum cognoſcant eſſe verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Patrem ſolum verum Deum appellat, ut falſis omnibus diis opponat. Roman. 16. 27. *Soli ſapienti Deo gloria per Ieſum Chriſtum.* 1. Tim. 1. 17. Ioh. 10. 29. *Pater major eſt omnibus*: non cæteris perſonis ſed creaturis. Marc. 13. 32. *Solus pater novit diem Iudicij.* Omnia opera Trinitatis ad extra & omnia attributa incluſiuè intelligenda ſunt.

8 Quando Deus abſolutè ſiue per ſe conſideratur, tres perſonæ comprehenduntur:

quando

quando confertur cum persona Trinitatis, patrem significat. 2. Cor. 13. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi & charitas Dei, & communicatio spiritus sancti sit cum omnibus vobis.*

10 Vox generalis specialiter significat & contra, ut *omnes* (inquit Aug. lib. 6. contra Iulian. cap. 12.) pro *multis* & *multi pro omnibus* usurpari in scripturis sæpè solent. Gen. 33. 11. *Donavit mihi Deus & sunt omne.* Ierem. 8. 6. *Omnes conversi sunt in cursum suum, ideſt, plerique.* Matth. 21. 26. *Omnes habent Iohannem quasi Prophetam, ideſt, plerique.* Philip. 2. 21. *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Christi.* Deut. 28. 64. *Et disperget te Iehova in omnes populos, ideſt, multos.* 1. Reg. 12. 18. *Et omnes Israelitæ lapidarunt eum, id est, omnes qui præsentes aderant.* Exod. 9. 6. *Omnia animalia Aegypti mortua sunt.* Ierem. 26. 9. *Tum congregatus est omnis populus contra Ieremiam in domo Iehovæ, ideſt, omnis impius.* Matth. 4. 23. *Sanans omnem languorem, ideſt, omnem oblatum.* Ioh. 14. 13. *Quicquid petieritis patrem in nomine meo, ideſt, quicquid juxta verbum.* 1. Cor. 6. 12. *Omnia mihi licent, ideſt, omnia adiaphora.*

Nihil

Nihil pro parum aut exiguum. Ioh. 18.20. *Nihil in occulto loquutus ſum, id eſt, parum.* Act. 27.33.

Nullus pro paucis, Ierem. 8. 6. *Nullus eſt qui agit pœnitentiam mali ſui, id eſt, pauci.* 1. Cor. 2.8. *Quam ſapientiam nemo Principum hujus ſeculi cognovit, id eſt, perpauci.*

Semper pro ſæpè aut diù. Proverb. 13.10. *Inter ſuperbos ſemper ſunt jurgia, id eſt, ſæpè.* Luc. 18.1. *Dixit eis parabolam quòd oportet ipſos ſemper orare.* Luc. 24.53. *Erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum.* Ioh. 18.20. *Ego ſemper docui in Synagoga & in Templo.*

Aeternum de longo tempore quod rei præſenti conveniat. Geneſ. 17.8. *Vniverſa terra Canaan data Abrahamo in poſſeſſionem æternam.* Levit. 25.46. *Si ſervi & alienigenæ fuerint, opera eorum æternùm utimini.* Deut. 15.17. *Si ſervus fuerit frater tuus Iudæus & noluerit à te diſcedere: tum accipies ſubulam & perforabis aurem ejus in porta, & ſerviet tibi in æternum.* 1. Chron. 15.2. *Levitas elegit Deus, ut miniſtrent ſibi uſque in æternum.* Eſa. 34.6. *Et beſtiæ poſſidebunt Idumæam & Boſram uſque in æternum.*

Dan.

Dan.2,4. *Rex in æternum viue.* Ierem. 25. 9. *Redigam Iudæam & terras vicinas in ſtuporem, in ſibilum & ſolitudinem perpetuam.*

Vbique pro paſsim. Marc. 16.2. *Illi verò egreſsi prædicarunt ubiq; Domino cooperante.* Luc. 17. 3. *Deus nunc annunciauit omnibus ubiq; hominibus ut reſipiſcerent.*

[Non] ad ſpeciem reſtringitur. Pſal. 7. 4. *Non eſt iniquitas in manibus meis, id eſt, in cauſa mea contra Saulitas.* Iohan. 17. 13. *Neq; parentes ejus peccauerunt, id eſt, ut hic ob peccata cæcus naſceretur. Miſericordiam volo non ſacrificium.* Non pro rarò, vix, difficultèr. 1. Regum. 15. 5. *David non declinauit ab ullo eorum quæ præceperat ipſi Dominus, præterquam in re Vriæ.* 1. rarò. Luc. 2. 37. *Ipſa vidua erat, & non decedebat è templo.*

III Vocum Grammaticæ & Rhetoricæ proprietates ipſis vocabulis variè conſignificant: ut,

Ellepſis ſignificat vel breuitatem vel celeritatem affectuum. Geneſ. 11. 4. *Extruamus nobis urbem & turrim cujus faſtigium* [aſſurgat]

ſurgat] *in cælum, ut nobis faciamus nomen.* Act. 5. 34. *Sin ex Deo, non poteritis diſſolvere,* [ac neſcio] *an etiam pugnare cum Deo comperiamini.* Pſal. 6. *Et tu Domine uſquequo?* Exod. 22. 20. *Qui ſacrificat dijs alienis ut anathema perditor: præterquam* [qui ſacrificat] *Iehovæ.* Geneſ. 3. 21. *Nunc igitur* [videndum] *ne extendens manum ſuam accipiat de arbore vitæ.* 1. Chron. 4. 10. *Si benedicendo benedixeris mihi* [faciam hoc vel illud] Exod. 22. 23. *Si afflixeris pupillum* [affligam te]

Enallage præteriti, qua præteritum ponitur pro futuro, in oraculis Prophetarum certitudinem rei futuræ ſignificat. Geneſ. 10. 3. Mortuus *es propter mulierem.* i. *morieris.* Iſa. 9. 6. *Puer natus eſt vobis, & filius datus eſt vobis.* Iſa. 21. 9. *Cecidit, cecidit Babylon.*

Pleonaſmus, qui multiplex

Subſtantivi in eodem caſu iterati, ſignificat. I. Vim & Emphaſim. Pſalm. 133. 2. *Sicut unguentum quod deſcendit in* barbam, barbam *Aaronis.* Luc. 6. 46. *Quid vocatis me* Domine, Domine. II. Multitudinem. Gen. 32. 16. *Dedit in manus ſervorum ſuorum* greges,

greges, greges, *id est, multos greges.* Ioel. 3. 19. Turbæ, turbæ *in valle concisionis, id est, multæ turbæ.* III. Distributionem. *Ad* portam & portam. 1. Chron. 16. 13. *id est, in singulis portis.* Levit. 17. 3. Vir, vir, id est, *singuli.* 2. Chron. 19. 5. *Constitues judices* in urbe & urbe, *id est, singulis.* IIII. Diversitatem & varietatem. Psal. 12. 13. *In* corde & corde *loquuntur, id est, diversis cordibus.* Proverb. 20. 10. Pondus & pondus *abominabilia sunt Iehovæ.*

Substantivi in regimine. I. In singulari emphasim & certitudinem. Exod. 31. 15. *Die septimo* Sabbathum Sabbathi *est.* Mich. 2. 4 *Et lamentabitur* lamentum lamentationis. II. In plurali excellentiam. Psal. 136. 2. Deus deorum, id est, *Summus Deus.* Dan. 37. *Rex regum.* Eccles. 1. 2. *Vanitas vanitatum. Canticum canticorum. Servus servorum.*

Adjectivi, quandoque etiam substantivi repetiti, exaggerationem significat. Ierem. 24. 3. *Vide ficus* bonas, bonas. Esa. 6. 3. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* Exod. 34. 6. *Transiens Iehova ante faciem ejus, inclamavit, Iehova, Iehova Deus fortis.* Ierem. 7. 4. *Ne habetote fiduciam*

vestram

vestram in rebus falsis, dicendo, templi Iehouæ, templi Iehouæ, templi Iehouæ ista sunt. Ierem. 22. 29. *O terra, terra, terra, audi verbum Iehouæ.* Ezech. 21. 27. *Dices igitur gladius, gladius districtus est ad mactationem exterminans.* Proverb. 6. 10.

Verbi, significat emphasim aut vehementiam, aut certitudinem, aut celeritatem. Genes. 2. 17. *Moriendo morieris.* Isa. 50. 2. *An* abbreviando abbreviata *est manus mea.* & 56. 3. *Discernendo discreuit Iehoua me à populo suo.* Psal. 50. 21. *Cogitas me* essendo esse *similem tui.* Psal. 109. 10. *Et vagando vagantur filij eius, & mendicant.* Ierem. 12. 16. *erit autem si* discendo dedicerint *vias populi mei, &c.* 2. Regum. 8. 10. Proverb. 27. 23. Exod. 13. 17. Isa. 6. 9. & 55. 2. 2. Regum. 5. 11. Genes. 46. 4. 2. Sam. 15. 30. Iere. 23. 39.

Conjunctionis, interdum significat vehementiam. Ezech. 13. 9. *Propterea, propterea quòd errare fecerunt populum.*

Vnde duplicata conjunctio (secùs quàm Latinè fit) negationem intendit. Exod. 14. 11. *An propterea quòd* non non *sepulchra in Aegypto, idest, nulla prorsus.* Matt. 13. 14. *Et videndo*

videbitis, & [οὐ μὴ ἴδητε] non cernetis.

Sententiæ, I. distributionem significat. Ezech. 46. 21. *Atrium in angulo atrij erat: atrium in angulo atrij erat: atrium in angulo atrij erat, id est, atrium vnum in quouis angulo ipsius atrij.* II. Emphasim. Exod. 12. 50. *Fecerunt Israel sicut præceperat Moses & Aaron sic fecerunt.* Psal. 145. 18. *Propinquus est Iehoua omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate.* Psal. 124. 1. *Nisi Iehoua fuisset nobiscum, dicat nunc Israël: nisi Iehoua fuisset nobiscum.* III. Repetitio sententiæ, quæ fit aliis verbis, expositionis est gratia. 2. Regum. 20. 3. *Obsecro Iehoua, recordare, me jam continenter ambulasse coram te fideliter & corde integro, & quod bonum videtur in oculis tuis feciſſe.* Psal. 6. 9, 10. *Audiuit Iehoua vocem fletus mei, audiuit Iehoua precationem meam: Iehoua orationem meam suscepit.* Esa. 3. 9. *Peccatum suum indicarunt, & non absconderunt.* Iohan. 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

Tropi omnes ἔμφασιν consignificant, præter delectationem & ornatum, præbentes etiam fomenta fidei: ut cùm Christus po-

ni-

nitur pro Christiano, vel pro Ecclesia Dei. Matth. 25. 34. 1. Cor. 12. *Sicut corpus unum est, & habet multa membra: & omnia membra corporis unius multa cùm sint, unum tamen sunt corpus: ita & Christus, id est, Ecclesia.* Act. 94. Hic tropus fidelem animum consolatur & fidem alit.

Ironia significat peccati justam reprehensionem. Iudic. 10. 14. *Dixit autem Iehoua ad filios Israel: ite & clamate ad deos vestros: quos elegistis, ipsi saluent vos tempore angustiæ.* Marc. 7. 9. *Et dixit Iesus Phariseis hypocritis: Sanè benè abrogastis mandatum Dei, & traditiones vestras seruatis.* 1. Regum. 22. 15. *Quùm ergò ingressus esset ad regem, dixit ei Rex, Michajah utrum ituri sumus in bellum &c. qui dixit, ascende & prosperare, scilicet tradet Iehoua in manum regis.* & 18. cap. *Cùm autem esset meridies, illudebat eis Elias, dicens, clamate altius: deus enim est: sed aliquid fortasse contemplatur, aut occupatus est, aut iter facit, nisi fortè dormit, ut sit expergefaciendus.* 1. Cor. 4. 8. *Iam saturati estis, jam ditati estis, absque nobis regnum adepti estis.*

Figuræ dictionis in vocis vel soni repetiti-

one, plerùmque emphasim habent. Psal. 66.7. *Benedicat nobis Deus, Deus noster.* Esa. 48.11. *Propter me, propter me, faciam ne blasphemer.* Ioh. 1.51. *Amen, amen, dico vobis.* Psal. 67.6. *Celebrabunt te populi, Deus: celebrabunt te populi omnes.* Psalm. 135. Singulis versibus hac de causa repetitio.

Interrogatio significat I. vehementem affirmationem siue asseuerationem. Genes. 4.7. *Nonnè si bene egeris, remissio?* Ios. 10.30. *Nonnè hoc scriptum est in libro iustorum?* Ioh. 4.35. *Nonnè vos dicitis adhuc esse quatuor menses ad messem?* Iosu. 1.9. Genes. 37.13. 1. Regum. 20.27. Mar. 12.24. Iohan. 6.7. II. Negationem. Genes. 18.4. *Nunquid difficile erit Domino verbum.* Rom. 3.3. *Num eorum incredulitas fidem Dei faciet irritam?* Mat. 12.26. *Si Satanas satanam vicit, quomodo stabit regnum ejus?* III. Prohibitionem. Psal. 79.10. *Adjuva nos Deus, quare dicent Gentes, ubi est Deus eorum?* 2. Sam. 2.22. *Et dixit Abner ad Assahelem: recede à me, quare te percutiam humi?* IIII. Varios affectus, ut admirationem, commiserationem, querelam, reprehensionem. Psal. 8.10. *Domine, quam admirabile est nomen tuum in*

universa

universa terra! Isa. 1. 21. *Quomodo est facta meretrix ciuitas fidelis!* Psal. 22. *Deus mi, deus mi, quare me dereliquisti?*

Concessio significat negationem & reprehensionem. 2. Cor. 12. 16. *Sed esto, non gravavi vos, sed cùm essem callidus, dolo vos decepi: num per quenquam eorum quos misi ad vos, vos decepi?*

IIII. Si dissimilarium locorum oppositio, doceatur esse, vel non ejusdem rei, sed nominis tantùm, vel non secundum idem, vel non ad idem, vel non eodem modo, vel non eodem tempore, conciliatio facta est.

Exempla.

Psal. 9.	Isa. 64.
9 *Indica me Iehoua, secundum iustitiam meam.*	4 *Sumus ut immundus omnes nos, & sicut pannus menstruatus omnes iustitiæ nostræ.*

Conciliatio.

E ſcopo & circumſtantiis utriuſque loci conſtat contradictionem hanc non eſſe ad idem. Ergò diſtingue: juſtitia alia eſt cauſæ vel operis, alia perſonæ: de priore, primus eſt locus: de poſteriore, locus eſt poſterior.

Matt. 10.	Marc. 6.
10 *Neque peram ad iter, neque binas tunicas, neque ſoleas, neque baculum.*	8 *Et præcepit ijs, ut nihil ſumerent ad iter niſi virgam tantùm, non peram, non panem, non æs in zona, ſed ut calciarentur ſandalijs.*

Conciliatio.

Diſtingue reſpectus. Matthæus baculum intelligit, qui oneri ſit ferentibus. Marcus talem, qui viatores ſuſtineat ac leuet: quali uſus eſt Iacob. Geneſ. 32. 10. Deinde ſoleæ apud Matthæum nouæ ſunt, quæ ad iter ſtudiosè comparantur. Sandalia apud Marcum

cum non noua sint, sed ea quæ pedibus quotidiè teruntur.

Ex hoc quarto consectario nascuntur multæ cautiones in locis conciliandis observandæ.

1 Scriptores sacri de rebus & personis præteritis scribentes anticipant, id est, de iis loquuntur juxta morem loci illius & temporis in quo scripserunt. Genes. 12. 5. *Posteà resigens, inde ad montana profectus est versus orientem tractum Bethelis.* Locus sic dictus est Mosis temporibus: Abrahamii verò non Bethel sed Luz. Genes. cap. 28. vers. 19. Genes. cap. 13. vers. 1. *Ascendit Abram ex Aegypto &c. in meridiem*: non respectu Aegypti, sed loci in quo fuit Moses. 1. Pet. 3. 19. *Christus spiritu prædicabat incarceratis.* Dicuntur incarcerati ratione temporis, quo scripsit Petrus hanc Epistolam, non quo vixit Noë. Psal. 105. 15. *Nolite tangere unctos meos.* Abraham, Isaac, Iacob dicuntur uncti pro ratione & more temporis quo vixit Dauid. Nam ipsi externa unctione caruerunt.

2 Allegoriæ juxta scopum loci exponendæ.

Sic Chryſoſt. ſuper Matth. 8. *Parabolæ non ſunt ad verbum exponendæ, ne multa ſequantur abſurda.* Auguſt. in pſal. 8. *In omni allegoria hæc retinenda regula eſt, ut pro ſententia præſentis loci conſideretur, quod per ſimilitudinem dicitur.*

3 Loci & perſonæ in Scripturis perſæpè ſunt binominæ. *Gedeon, Ierubaal.* Iudic. 6. 32. *& Ierubeſheth.* 2. Sam. 11. 21. *Abimelech* 1. Sam. 21. 3. *& Abiathar.* Mar. 2. 26. *Salomon.* 1. Sam. 12. 24. *& Iedidia.* 25. *Zimri.* 1. Chron. 2. 6. *& Zabdi,* Ioſu. 7. 1. *Hazaria,* 2. Chron. 22. 6. *& Achazia,* 1. Chron. 3. 11. *& Iehoachaz,* 2. Chron. 21. 17. *Iohanan,* 1. Chron. 3. 15. *& Iehoachaz,* 2. Reg. 23. 30. *& Schallum,* Ierem. 22. 11. *Iehoiachin,* 2. Regum. 24. 6. *& Iechonias,* 1. Chron. 3. 16. *& Conia,* Ier. 22. 24. *Mephiboſcheth,* 2. Sam. 4. *& Meribbahal,* 1. Chron. 8. 34. *Abinadab,* 1. Chron. 10. 2. *& Iiſcui,* 1. Sam. 14. 49. *Eliachim & Iachim,* 2. Regum. 23. 24. *Ozias & Azarias,* 2. Reg. 15. 1. 2. Chron. 26. 1. *Heſtera, Ediſſa,* Heſt. 2. 7. *Simon, Petrus,* Iohan. 1. 42. *& Cephas, & Barjona, Ioſes & Barnabas,* Act. 4. 36. *Saulus & Paulus,* Act. 13. 6, 8. *Matthæus & Leui. Hieruſalem*

Hierusalem & *Iebus*, & *Salem*.

Et nomen quod reuera unum est, sæpè mutationes & differentias habet: ut *Salmon*, Ruth.4.21. idem *Salma*, 2.Chron.2.11. *Abigal*, 2.Sam.17.25. idem *Abigail*, 1.Chron.2.16. *Tiglath-pileser*, 2.Reg.15.19. idem *Tilgath-pilneeser*, 1.Chron.5.6. *Aram*, Mat.1.3. idem *Ram*, 1.Chron.2.9.

Et è contra distinctæ personæ & loci diuersi unomines sunt, Matth.1.11.. *Iosias genuit Ieconiam & fratres ejus, in transportatione Babylonicâ*, 12. *Post transportationem Babylonicam Iechonias genuit Salathiel*. Hic quia *Ieconias* & secundam tesseradecadem finiat & tertiam inchoet, unus alteri deerit, nisi dicamus duos Iechonias patrem simul & filium fuisse. *Succoth* nomen trium locorum: primus in Aegypto est, Exod.12.37. secundus in tribu *Gad*, Ios.13.27. tertius in tribu *Manasses*, 1.Reg.7.46.

4. In supputationibus sacris, propter impietatem principis, vel nomen ejus vel numerus annorum, quibus malè administrauit, omittuntur. 1.Sam.13.1. *Saul duobus regnauit super Israelem*. Subaudi, legitimè, vel, ut inquit Lyra, de jure: aliâs verò plures annos regnauit,

regnauit, Matth.1.8. *Ioram genuit Hoſiam.* Hîc propter impietatem tres omittuntur Achaziah, Ioas, Amaziah.

5 Datum tempus ſumitur vel completè, vel incompletè: ejuſque partes intelliguntur vel incluſiuè vel excluſiuè: Vt,

1.Reg. 15. 9. *Anno vigeſimo Ieroboam regnauit Aſa ſuper Iehudam.*

25 *Nadab filius Ieroboam regnare* [cœpit anno ſecundo] *Aſæ regis Iudæ: & regnauit* [biennium.]	28 *Baaſa morte afficiens eum* [anno tertio Aſæ] *regis Iudæ regnauit pro eo.*

Conciliatio.

Nadab qui cœpit regnare anno ſecundo Aſæ, potuit regnare biennium: quamuis Baaſa anno tertio Aſæ ſuccedat, quia anni regum Iſraëlis & Iudæ ultimi non ſunt completi, ſed eorum quidam (ut in hoc loco) vix menſes complectuntur: cæteris poſitis completè.

Matth.

Matt. 17.	Luc. 9.
1 [Sexto verò post die] *assumit Iesus Petrum & Iacobum, & Iohannem fratrem ejus, & subducit eos in montem sublimem.*	28 *Factum est autem post hæc verba* [quasi dies octo] *intercesserunt, quùm assumptis Petro & Iacob & Iohanne ascendit in montem.*

Conciliatio.

Matthæus excluſiuè ponit tantùm intermedios dies, qui integri fluxerunt: Lucas extremos etiam dies includiuè connumerat.

Temporis partes ponuntur aliquando includiuè, aliquando excluſiuè. I. Vt perfectior ſit numerus. Aug. quæ. 47. in Exo. In numero perfectiori ſæpè, quod deeſt vel quod ſupereſt, non computatur. Iud. 11. 26. *Habitauit Iſrael in Heſbon & Areer trecentos annos.* Hi anni numerandi ſunt ab egreſſu Iſraelitarum ex ægypto, hoc modo: Moræ in deſerto an. 40. Ioſuæ an. 17. Othonielis an. 40. Iud. 3. 11. Ehud & Samgar ann. 80. Iud. 3. 30.

Barac

Barac ann. 40. Iud. 5.31. Gedeonis ann. 40. Iud. 8.28. Abimelech ann. 3. Iud. 9.22. Tolah ann. 23. Iud. 10.2. Iair ann. 22. Iud. 10.3. Totum est præcisè 305. anni. Hic ergo anni quinque non repetuntur, fortè quia par hic numerus 300. & computationi & sermoni est aptior. II. *Brevitatis gratiâ.* Iud. 20. 46. *Cæsi è Binjamitis* 25000. Hic 100. non computantur, ut apparet vers. 35. *Israelitæ prosternebant eo die è Binjamine vicies quinquies mille centum viros.*

5. Rex vel externo bello, vel senio, vel morbo impeditus proregem filium vivus constituit: ideoque computationibus annorum patris & filij simul regnantium, non regiminis aliquando conjunctim, aliquando separatim numerantur.

2. Reg. 1.	2. Reg. 3.
17 *Mortuus est Achaziah, & regnavit Iehoram pro eo* anno secũdo Iehorami filij Iehosaphat *regis Iuda.*	1 *Iehoram filius Achab regnavit* anno decimo octauo *Iehosaphat.* *Cap.* 8. 16. Anno quinto Iorami filij Achab

chab, *regnare cæpit* Iehoram *filius Iehosaphat, & octo annis regnauit.*

Cònciliatio.

Iehosaphat anno regni 17 constituens regi Achab contra Syros auxilium ferre, Ioram filium proregem designat: anno 18 regni sui & filij secundo regnauit Ioram filius Achab. Posteà quinto anno hujus Ioram filij Achab, Iehosaphat senio confectus, filio suo Ioram regnum confirmat: qui dicitur 8 ann. regnasse, quatuor viuente adhuc patre, & quatuor solus jam mortuo patre.

2. Reg. 15.

30 *Hosea filius Ele percussit Remaliam ita ut morte afficeret eum & regnauit pro eo,* anno vigesimo *Iotham filij Vzziæ.*

2. Reg. 15.

33 *Iotham filius Vzziæ natus* 25 *annos erat, quùm regnare inciperet, &* sexdecim annos *regnavit Hierosolymis.*

Concilia-

Conciliatio.

Sexdecim annos regnavit ſolus mortuo patre: regnauit etiam viginti cum patre: quia vice patris leproſi, regni adminiſtrationem iniit.

6 Orientales variè diſtinguunt diem artificialem, & in horas æquales duodecim (vulgò planetarias) & quadrantes, ab hora proximè præcedente nominatos. Beroald. Chronol.

1 3 6 9

Orient. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.
Noſtræ. 7.8.9.10.11.12.1.2.3.4.5.6.

Mat.15.16.	Ioh.19.
25 *Erat autem* [hora tertia] *quando crucifixerunt eum.*	14 *Erat autem paraſceve paſcæ*, [hora verò quaſi ſexta] *tum dicit Iudeis, ecce rex veſter.*

Conciliatio.

Oppoſitio non eſt ad idem: ergo diſtinguo modos

modos computandi horas diei, tum constabit Christum potuisse crucifigi hora tertia & circa sextam.

7 Numero majori & pleniori minor admeratur. Iud.3.11. *Quiescebat terra omnis annis* [quadraginta] *quùm mortuus est Othoniel.* Sub hoc numero comprehenduntur omnes anni à morte Iosuæ ad mortem Othonielis etiam octo anni seruitutis sub Syris. Iud.3.30. *Terra quieuit* 80. *ann.* Hic ab Othonielis morte anni Ehud & Samgar simul connumerantur. Ehud enim 80. annis judex esse non potuit: his enim elapsis integra hominis ætas absoluitur. Simile occurrit, Iud. 5.31. & 8.28. & 9.22. & 10.2,3. & 11.26. ubi annis 300. includuntur 40. anni moræ in deserto.

8 Filiatio est, vel naturalis uel legalis. Naturalis, fit generatione: Legalis, adoptione: quæ testanda est educatione & enutritione, & successione in regno, Leuiratione jure redemptionis.

2. Sam. 21.	1. Sam. 18.
8 *Et accepit Rex quinque filios Micale*	18 *Fuit autem quo tempore daturus erat Merabam*

filiæ Saulis quos pepererat *Hadrieli filio Barzillai Mecolanæo.*	*Merabam filiam Saulis Davidi, ut ipsa daretur Hadrieli Mecolonæo in uxorem.*

Conciliatio.

Naturales sunt filij Merabæ, legales Micalæ, ideoque *parere* tantùm significat educare, alere, nutrire. Sic enim Gen. 50. 23. filij Machiris dicuntur *nati super genibus Ioſephi*, id est, educati.

Matth. 1.	Luc. 3.
12 *Ieconias genuit Salathiel.*	27 *Salathiel filius Neri.*

Conciliatio.

Salathiel filius Neri naturâ: filius Ieconiæ legaliter respectu successionis in eodem regno. Hoc modo Tzedechias Ieconiæ siue Iehoiachinis frater, 2. Chron. 36. 10. & patruus, 2. Reg. 24. 17. & filius, 1. Chron. 3. 16.

frater

frater generatione, filius jure ſucceſsionis Hoc modo conciliantur Matthæus & Lucas in genealogia Chriſti: alter enim naturalem ordinem ſequitur, ut Lucas, alter legalem.

V. Dato prædictis medijs loci genuino ſenſu, vocis πολυσήμου *ſignificatio loco congrua dabitur.*

Hoc modo vau præfixæ ſeu copulatiuæ ſignificationes (ut annotauit Brunerus in Grammat. Hebraic.) pro locorum varietate diſtinguntur, ſignificat. I. *At*, Iſa. 9.10. Geneſ. 42.10. II. *quoniam*, Iſa. 53.11. III. *quin*, Iſa. 9.11. pſal. 73.4. IIII. *id eſt*, Iſa. 9.14. 1. Sam. 17.40. V. *Idcirco*, Prou. 1.18. VI. *Itaut*, Pſal. 18.39. Iſa. 24.20. VII. *Sic etiam*, Iſa. 10.10. & 51.11. VIII. *Et tamen*, 1. Chron. 5.2. Nehem. 9.19. IX. *Atqui*, Pſal. 73.2. & 19.6. X. *Poſteà tunc*, Iſa. 16.12 Gen. 3.5. XI. *Autem*, Iſa. 1.21. Nehem. 2.9. XII. *Etiam*, 2. Regum. 3.8. XIII. *Num*, Iſa. 37.11. XIIII. *Sicut, ſic*, Pſal. 125.2. Dan. 7.2. XV. *Qui, quæ, quod*, Iſa. 43.8. XVI. *Quum*, Pſal. 50.17. XVII. *Vt*, Iſa. 49.6. XVIII. *Quamuis*, Ierem.

31.35. XIX. *inquam*, Isa.55.1. XX. *idque*, Psal.105.12. XXI. *Atq; ita*, Pro.3.4. XXII. *Et ut*, Isa.58.5,6. XXIII. *quoniam*, *ideò*, Psal.109.17. XXIIII. *imò*, Psal.109.18. XXV. *nec non*, Psal.72.16. XXVI. *verùm*, Psal.73.23. XXVII. *etiamsi*, Iob.19.26. XXVIII. *aut*, Psal.139.7. XXIX. *quòd*, *idq;*, Psal.139.14. XXX. *& verò*, Psal.139.17. XXXI. *tum*, Neh.12.27. XXXII. *simulatq;*, Ier.50.43. XXXIII. *si sin*, 2.Reg.5.17. XXXIIII. *nec*, Isa.41.8. XXXV. *hoc igitur*, Prou.17.33. XXXVI. *vnà cùm*, Prou.8.18. XXXVII. *quòd*, Gene.47.6.

Hoc modo constat [Berech] significare contraria, benedicere & maledicere. Iob.1.5. 1.Regum.21.10. & 11.2,9.

Hinc denique liquet, [*Huchal*, Gen.4.26] non significare *prophanatum est*, sed *cœptum est*. Ratio. I. Quando *chalal* significat prophanare, debet conjungi cum nomine idque regere: hìc verò immediatè sequitur verbum infinitum *Kara*. II. Inter multas diluvij causas Moses prophanationem cultus Dei non enumerat: quæ tamen præcipuè fuit notanda, si modo in populo Dei obtinuisset.

Si

VI. Si datum in Bibliȝs vocabulum vel Hebræum, vel etiam Græcum primùm Syntaxi Grammaticæ aliȝſq; probatis exemplaribus: deindè quoad ſenſum circumſtantiȝs, ſcopoq; loci, & analogiæ fidei congruum ſit, genuinum eſt.

Hoc theorema pono, non quòd putem textum Hebræum, & Græcum in omnibus exemplaribus malitia Iudæorum corruptum eſſe, ut impiè *Lindanus*, & poſt eum omnes Papiſtæ calumniantur: ſed ut variæ lectiones, quæ locis quibuſdam, librariorum vel inſcitia, vel negligentia obrepſerunt, dijudicentur. ut, Pſal. 22.17. in vulgatis exemplaribus verba ita ſe habent. *Caari*, id eſt, *ut leo* manus meæ & pedes mei: in aliis lectio diuerſa eſt hoc modo, *Caaru, foderunt* manus meas &c. Lectionem verò poſteriorem ſequendam eſſe poſitum theorema docet. Congruit enim I. cum conſtructione grammatica II. cum circumſtantiis Pſalmi III. cum quibuſdam antiquis exemplaribus: etiam è Iudæorum teſtimonio.

CAP. VI.

DE ORTHOTOMIA.

Actenus de Interpretatione. Sequitur Orthotomia.

Ὀρθοτομία est, qua verbum fit aptum ad ædificandum populum Dei. 2. Timoth. 2. 15. *Stude teipsum probatum sistere Deo, operarium qui non erubescat* [ὀρθοτομοῦντα] *& qui rectè secet sermonem veritatis.* Metaphora fortè ducta est à Leuitis, quibus non licebat temerè partium membra victimarum. Isa. 50. 4. *Dominus Iehoua dedit mihi linguam eruditorum, ut sciam tempestiuè eloqui defessum verbum.*

Ejus partes sunt, Διάλυσις, & Applicatio.

Dialysis est, qua locus datus in varias doctrinas, velut tela quædam textoris, resoluitur. Act. 18. 28. *Magna contentione Iudæos magis ac magis redarguebat publicè, ostendens per Scripturas Iesum esse Christum illum.*

Dialysis,

Dialysis est vel Notatio, vel Collectio.

Notatio est, quando doctrina in dato loco exprimitur, ut, Rom. 3. 9. *Criminati sumus Iudeos & Græcos omnes esse sub peccato.* 10. *Sicut scriptum est, non est justus ne unus quidem.* 11. *Non est qui intelligit, non est qui exquirat Deum.* 12 *Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Act. 2. 24. *Quem Deus excitauit solutis doloribus mortis, eò quòd impossibile erat eum ab ea retineri.* 25. *Dauid enim dicit de eo, prospiciebam Dominum coram me semper, quoniam est mihi ad dextram ne concutiar.* 26. *Propterea oblectatum est cor meum, & exultauit lingua mea: atque adeò caro mea requiesceet in spe.* 27. *Quoniam non derelinques animam meam apud inferos: neque sines sanctum tuum videre corruptionem.*

Collectio est, quùm doctrina non expressa, è textu solidè colligitur. Hoc fit ope nouem argumentorum, hoc est, causarum, effectorum, subjectorum, adjunctorum, dissentaneorum, comparatorum, nominum, distributionis, definitionis.

Locus.	Collectio.
Ioh. 10.	A comp. minoris.
34 *Respondit ijs Iesus, nonnè scriptum est in lege vestra, Ego dixi, dij estis?*	35 *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est: & non potest solui scriptura.*
	36 *Me, quem Pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis blasphemare, quia dixi, Dei filius sum.*
1. Cor. 9.	A minore.
9 *Nam in Mosis lege scriptum est, non obligabis os boui triturienti. Num boues curæ sunt Deo?*	Vers. 4. *Annòn habemus potestatem vescendi & bibendi?*
Gal. 3.	A contrariis.
10 *Nam quotquot ex operibus legis sunt, sub execratione sunt.*	Vers. 9. *Itaque qui ex fide sunt, benedi-*

Scriptum est enim: Execrabilis quisquis non manserit in omnibus quæ sunt in libro legis, ut faciat ea.	*nedicuntur cum fideli illo Abraham.*
Vers. 11. *Siquidem justus ex fide viuet.*	Vers. 11. *Nullum apud Deum justificari per legem manifestum est.*
Heb. 8.	Ab adjuncto.
8 *Nam increpans eos, inquit, ecce dies venient, dicit Dominus, quùm pangam cum domo Israel & cum domo Iudæ fœdus novum.*	*Dum novum dicit, antiquavit prius: porrò quod antiquatur ac senescit, propè est ut euanescat.*

In colligendis doctrinis præcipuè tenendum, exemplum in suo genere, id est, Ethicum, Oeconomicum, Politicum, Ordinarium, Extraordinarium, in rebus Ethicis, Oeconomicis, Politicis, Ordinariis, Extraordinariis habere vim generalis regulæ.

Exempla *patrum typi ſunt nobis.* 1. Cor. 10. 11. *Et quicquid ſcriptum eſt, ad noſtram doctrinam eſt ſcriptum.* Eſtque theorema logicum, Genus actu eſſe in ſingulis ſpeciebus: & Opticum, generales rerum ſpecies cerni priùs quàm ſingulares.

Rom. 9.	A ſpecie.
7 *Neque quia ſunt ſemen Abrahæ, ideò omnes ſunt filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen.*	Verſ. 8. *Hoc eſt, non qui carnis filij, ij filij Dei ſunt, ſed qui ſunt filij promiſſionis, cenſentur in ſemine.*
10 *Neq; hic ſolùm, ſed Rebecca quùm ex uno concepiſſet, nempe ex Iſaac patre noſtro, hæc experta eſt.*	

Rom. 4.	
81 *Qui Abraham contra ſpem ſub ſpe credidit &c.*	23 *Non ſcriptum eſt autem propter eum ſolùm, quòd hoc imputatum fuerit ei:*
21 *Ac benè per ſuaſum habens, eum, quod promiſerat, poſſe etiã*	24. *Sed etiam propter nos, quibus futurum*

facere.

22. *Quapropter etiam hoc imputatum est ei pro justitia.*

rum est ut imputetur, ijs nimirum qui credunt in eum.

Illud addo, collectiones debere esse rectas & solidas, id est, è genuino scripturæ sensu ductas. Quòd si secùs fuerit, quidlibet eliciemus è quolibet. Proverb. 8.22. Græca versio septuaginta interpretum est κύριος ἔκτισέ με, id est, *Dominus creavit me.* Oratio est sapientiæ, id est, Christi de se loquentis. Hinc Arriani colligunt, filium esse creatum, admodum sceleratè. At in Hebræo est [*Iehova kanneni*] id est, possedit me. Posidet autem Pater filium: quia generauit eum ab æterno, & quia Pater in Filio est, & Filius in Patre. Et sic. Genes. 4.1. Vbi Adamo natus est filius, dixit, *Possedi virum à Iehova.* Deceptio fortè ex eo nata est, quòd vel inscitia vel malitia ἔκτισε pro ἔκτησε est positum. August. etiam super Psal. 39. vers. ejus decimum, hoc modo legit, *obmutui quia tu feciſti me.* Inde argutè colligit, mirum esse eum obmutescere, cui os ad loquendum factum est: quum [*me*] non sit vel in Hebræo vel Græco. Et super

Psal.

Psalm. 72. 14, Multa de usuris disputat, & peccata usuras esse probat, ubi nihil omninò tale occurrit. Verba enim sunt. *A dolo & violentia liberabit animam eorum, adeò pretiosus est sanguis eorum in oculis ejus.*

Allegorias quoque colligere licebit: sunt enim argumenta à similibus ducta, & Paulus his frequentèr inter docendum est usus. 1. Corin. 9. 9. Verùm iis utendum, his positis cautionibus. I. Fiant parcè & sobriè. II. Ne sint longè petitæ, sed rei præsenti congruant. III. Breviter tractandæ. IIII. Adhibendæ ad institutionem vitæ non ad dogma fidei probandum.

Locus doctrinæ justa consequentia collectus αὐτόπιστος est & ἀποδεικτικός. Act. 18. 24. *Iudeus autem quidam Apollos nomine, Alexandrinus natione, vir eloquens, peruenit Ephesum* [δυνατὸς ὢν] *potens in Scripturis.* 28 *Magna enim contentione Iudæos magis magisque arguebat publicè,* [ἐπιδεικνὺς] *demonstrans per Scripturas Iesum esse Christum illum.*

Hinc sequitur:

Primò, humana testimonia vel philosophorum vel patrum non esse adhibenda. Augustus.

guſt. ſuper Pſalm. 66. *Si ego dico nemo audiat: ſi Chriſtus dicit, væ qui non audit.* Idem de unitat. eccleſiæ. *Non audiamus, hæc dico, hæc dicit: ſed audiamus, hoc dicit Dominus.*

Excipe niſi cõuincant auditoris conſcientiã. Paulus hoc modo citauit teſtimonium Arati. Act. 17. 28. *Per ipſum enim viuimus, mouemur, & ſumus: ſicut & quidam veſtratium poetarum dixerunt,* [τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν] *nam hujus progenies etiam ſumus.* 29. *Progenies ergò Dei cum ſimus &c.* Menandri. 1. Cor 15. 33. *Ne errate: mores bonos commercia corrumpunt praua.* Epimenidis. Tit. 1. 12. *Dixit quidam ex ipſis proprius ipſorum propheta, Cretenſes ſemper mendaces, malæ feræ, ventres pigri.* Atque tum etiam parcè & omiſſo prophani ſcriptoris nomine.

Secundò, pauca Scripturæ teſtimonia ad doctrinam probandam eſſe adhibenda: & quandoque nullis opus eſſe.

Poſtremò, Prophetas hoc modo doctrinam tradẽtes non eſſe ab aliis Prophetis arguendos. 1. Cor. 14. 32. *Et ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubjciuntur.* Poſtea tamen addit v. 37. *Si quis videtur Propheta eſſe aut ſpiritualis, agnoſcat quæ ſcribo vobis eſſe domini mandata.*

CAP.

CAP. VII.

De applicationis modis.

Pplicatio est, qua doctrina rectè collecta pro ratione loci, temporis, personæ variè accommodatur. Exec. 34. 16. *Ego pascam gregem meum: & ego faciam ut recubent, dicit Iehova. 16 Pereuntem requiram, & depulsam reducam, fractamq́, obligabo, & ægrotam confirmabo.* Iud. 22. *Alios quidem habito delectu commiseramini. 23 Alios verò terrore servate ex flamma rapientes.*

Fundamentum applicationis est, scire an locus datus sit vel Legalis sententia, vel Euangelica. Nam in prædicando alia est operatio legis, alia Euangelij: lex enim hactenus est efficax, quòd nobis peccati morbum indicat & per accidens exasperat: remedium verò nullum præbet. Euangelium autem sicut docet

cet quid faciendum: ita etiam adjunctam habet efficaciam Spiritus ſancti, quo regenerati, vires habemus & credendi Euangelio, & quæ jubet, præſtandi. Lex ergo, docendi ordine, prior eſt: Euangelium poſterius.

Legalis ſententia eſt, quæ de juſtitia inhærente perfecta, de vita æterna legis operibus data, de peccatis contrariis, deque maledictione iis debita: ut, Galat. 3. 10. *Quotquot ex operibus legis ſunt, ſub execratione ſunt: ſcriptum eſt enim, execrabilis qui ſquis non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis ut faciat ea.* Mat. 3. 7. *Progenies viperarum quis vobis præmonſtrauit ut fugeretis à futura ira?* 10. *Iam verò ſecuris ad radicem arborum poſita eſt: omnis igitur arbor non ferens fructum bonum, exciditur & in ignem abjicitur.*

Euangelica eſt, quæ de Chriſto ejuſque beneficiis deque fide bonis operibus fructificante præcipit: ut, Ioh. 3. 6. *Ita Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum dederit, ut qui ſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Hinc ſententiæ multæ quæ videantur eſſe legales, propter Chriſtum non νομικὰς ſed Euangelicè

uangelicè intelligendæ. Luc. 11. 28. *Beati qui ſermonem Dei audiunt & cuſtodiunt illud.* Deut. 11. 30. *Mandatum hoc quod præcipio tibi hodie, non eſt occultum neq; procul poſitum: ſed juxta eſt in ore tuo & in corde tuo.* Hæc ſententia quæ Moſi legalis fuit, Paulo Euangelica eſt. Rom. 10. 8. Pſal. 119. 1. *Beati integri via, qui ambulant in lege Iehouæ.* 2. *Beati cuſtodientes teſtimonia ejus ex toto corde quærentes eum.* Ioh. 14. 21. *Qui tenet præcepta mea & ſeruat ea, is ille eſt qui diligit me: qui diligit me, diligetur à patre meo, &c.* 23 *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diligit eum & apud eum veniemus & apud eum manebimus.* Gen. 6. 9. *Noah vir juſtus & integer erat in ætatibus ſuis: ſecundum deum indeſinenter ambulabat Noah.* Geneſ. 17. 1. *Ego ſum Deus fortis, omnipotens, indeſinenter ambula coram me & eſto integer.*

Applicationis modi, ſiunt præcipuè ſeptem, pro vario ſtatu hominum & populorum qui ſeptuplex eſt.

I *Infideles qui & ignari & indociles.*

Hi primò ſunt præparandi ad recipiendam

dam doctrinam verbi. 2. Chron. 17. Iehosaphat misit Leuitas per ciuitates Iudæ ut populum doceret & ab idolis abduceret.

Hæc præparatio facienda est partim disputando, ut mores & ingenium pertentes, partim arguendo in iis eximium aliquod peccatum, ut corde compuncti & territi, dociles fiant. Act. 17. 17. *Disserebat in Synagoga cum Iudæis & religiosis & in foro quotidie cum quibusuis obuiis.* Act. 9. 3, 4. *Quum autem iter faceret, factum est ut appropinquaret Damasco: & repente circumfulsit eum lux. 4. Et quum cecidisset in terram, audiuit vocem dicentem sibi Saul, Saul, quid me persequeris. 5. Dixit autem quis es domine? Dominus autem dixit, Ego sum Iesu quem persequeris: durum est tibi contra stimulos calcitrare.* Act. 16. 27. *Expergefactus autem Commētariensis, quùm videret fores carceris apertas educto gladio erat seipsum interēpturus existimans vinctos effugisse. 28. Clamauit autē Paulus voce magna, dicens, ne quid feceris tibi ipsi mali: omnes enim hic sumus. 29. Is vero petito lumine irrupit & tremefactus accidit Paulo & Silæ ad pedes. 30. Et productis ipsis foras, ait, domini quid me oportet facere ut*

server?

ſerver? 31. *At illi dixerunt, Crede in dominum Ieſum Chriſtum, & ſeruaberis tu ac domus tua.* Act. 7. 22. *Stans autem Paulus in medio Ariopago, viri Athenienſes, conſpicio vos quaſi religioſiores.* 23. *Præteritus enim & contemplans ſacra veſtra, inveni etiam aram cui inſcriptum erat: Ignoto Deo: Quem ergo* ignorantes *colitis hunc ego vobis annuncio.* 24 *Deus quum fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt, quum ſit cœli & terræ dominus, in manufactis templis non habitat.*

Vbi jam ſpes eſt dociles eos & paratos eſſe, doctrina verbi Dei generatim communibus quibuſdam terminis enuncianda eſt. Act. 17. 30. *Temporibus igitur iſtius ignorantiæ diſſimulatis, Deus nunc denunciat omnibus ubique hominibus ut reſipiſcant.* 31. *Eo quòd ſtatuit diem, quo juſtè judicaturus eſt orbem terrarum*, per eum virum quem definiit, *fide palam omnibus facta, illo à mortuis excitato.*

Hanc ſi probauerint, tum ea diſtincte & ſingillatim eſt aperienda: ſin verò indociles manſerint ſine ſpe, relinquendi. Mat. 7. 6. *Ne date quod ſanctum eſt canibus: ne projicite margaritas*

garitas vestras coram porcis, ne quando conculcent eas pedibus suis, & conuersi lacerent vos. Prov. 9.8. *Ne corripito derisorem, ut non odio prosequatur te.* Act. 19.8. *Quùm autem indurarentur quidam, & parere nollent, malè loquentes de via Domini apud multitudinem, abscedens ab illis seperauit discipulos.*

II.

Dociles sedignari.

His tradenda Catechesis, Act. 18.25. *Apollos erat* [κατηχημένος] *initiatus in via Domini. Et feruens spiritu loquebatur & docebat diligentèr ea quæ sunt Domini, sciens tantum baptisma Iohannis.* vers. 26. *Cœpitq; liberè loqui in Synagoga: quem quùm audissent Aquila & Priscilla assumpserunt eum, & exquisitiùs ei exposuerunt viam Dei.* Luc. 1.4. *Vt agnoscas earum rerum veritatem, quarum cognitione imbutus es* [κατηχήθης.]

Catechesis est, doctrina fundamenti religionis Christianæ, breuitèr viuæ vocis quæstionibus & responsionibus proposita intelligentiæ memoriæque juvandæ gratiâ.

Ergò materia Catechiſmi, eſt fundamentum religionis.

Fundamentum eſt principiorum Chriſtianiſmi ſumma quædam, Hebr. 5. 12. *Vos enim, quos oportuit pro temporis ratione doctores eſſe, rurſum opus eſt doceri* elementa initii eloquiorum *Dei*.

Principium eſt quod directè & immediatè inſervit & ſaluti hominum & gloriæ Dei: quo etiam negato & euerſo nulla ſalus ſperanda.

Principia ſunt inprimis ſex, Reſipiſcentia, fides, Baptiſmata, id eſt, Sacramenta, Impoſitio manuum, id eſt, miniſterium verbi per Synechdochen, Reſurrectio, Vltimum judicium. Heb. 6. 1, 2, 3.

Forma Catechiſmi eſt, elementa perſpicuè tractare quærendo & reſpondendo, 1. Pet. 3. 21. *Cui nunc correſpondens exemplar Baptiſmi nos quoque ſeruat (non quo carnis ſordes abijciuntur, ſed* [ἐπερώτημα εἰς θεὸν] *ſtipulatio bonæ conſcientiæ.* Act. 8. 37. *Quid prohibet me baptizari? dixit verò Philippus, Si credis ex toto corde licet. Reſpondens ille dixit, credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum.* Tertul. de Reſurrect. carnis. *Anima non lauatione, ſed reſponſione*

ſione purgatur.

Atque hîc tenendum diſcrimen inter lac & ſolidum cibum, quæ re quidem eadem ſunt, ſed tradendi modo & forma differunt.

Lac eſt breuis quædam & ſimplex & generalis explicatio elementorum fidei: ut cùm docetur credendum unum Deum, & tres Hypoſtaſes, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ſola Dei gratia in Chriſto eſſe confidendum, credendam remiſsionem peccatorum, reſipiſcendum eſſe, abſtinendam à malo, & bonum eſſe faciendum.

Solidus cibus eſt doctrinæ fidei ſpecialis, copioſa & luculenta tractatio: ut cùm conditio hominis ante lapſum, lapſus, peccatum originale & actuale, reatus, liberũ arbitrium, Trinitatis myſteria, duæ Chriſti naturæ, hypoſtatica unio, Chriſti officium, imputatio juſtitiæ fides, gratia, uſus legis, diſtinctè & enucleatè è verbo Dei traduntur.

Lac etiam infantibus i. rudibus: ſolidus cibus adultis, i. inſtructioribus proponi debet. 1. Cor. 3. 1. *Ego porrò fratres non potui loqui vobis ut ſpiritualibus: ſed loquutus ſum ut carnalibus, id eſt, ut infantibus in Chriſto.* 2. *Lactis potu vos alui, & non eſca.* Hebr. 5. 13.

III.
Cognitione aliqua imbuti, sed nondum humiliati.

In his excitandum est principium Resipiscentiæ, id est, dolor quidam qui est secundum Deum. 2. Cor. 7. 8. *Nam etiamsi tristitia vos affeci per epistolam, non me pœnitet etiamsi pœnituerit: video enim epistolam illam tametsi ad tempus, tristitia vos affeciſſe.* 9. *Nunc gaudeo, non quòd tristitia affecti fueritis, sed tristitia affecti fueritis ad resipiscentiam: nam tristitia affecti fuistis secundum Deum* [ἐλυπήθητε κατὰ θεὸν] *ut nulla in re detrimento sitis affecti per nos.* 10 *Nam qui secundum Deum est dolor, is resipiscentiam efficit ad salutem, cujus nunquam pœniteat, at mundi dolor mortem efficit.*

Dolor secundum Deum est tristitia de peccato, ideò quòd peccatum est.

Ad hunc affectum excitandum, primò utendum est ministerio legis, quod gignat contritionem cordis, sive pavores conscientiæ, quæ utcunque res non est suapte natura salutifera, est tamen necessarium remedium, quo peccatoris con-

contumacia frangatur, & ipsius animus ad docilitatem præparetur.

Atque ut hæc legalis contritio fiat, adhibere conuenit selectam aliquam partem legis, quæ unum aliquod insigne peccatum in hominibus nondum humiliatis arguat. Nam dolor & resipiscentia vel de uno peccato τῶν ὅλων dolor est & resipiscentia de omnibus. Act. 8. 22. *Resipisce igitur* ab ista malitia tua, *& roga Deum si fortè remittatur tibi* cogitatio *cordis tui.* Act. 2. 25. *Hunc definito consilio & prouidentia Dei deditum quùm accepissetis, manibus sceleratis* cruci affixum interemistis. Psal. 32. 5.

Imò si quis cruce & externis calamitatibus pressus, tantùm habeat dolorem mundi, id est, lugeat, non de peccato quatenus peccatum sed de pœna peccati, non is statim consolandus, sed primo conuertendus est hic dolor in alterum illum qui est secundum Deum: quemadmodum in re simili medicorum consilium est. Nam cui, fluente per nares sanguine, vitæ periculum est: etiam sanguinis missionem in brachio vel alibi pro re nata fieri jubent, ut sanguini è naribus erumpenti remoram injiciant, ut jam expirantem salvum reddant.

Succedat deinde prædicatio Euangelij, in qua Spiritus Sanctus ad ſalutem efficax eſt. Dum enim homines renouat, ut incipiant velle & facere quæ Dei ſunt, verè & propriè dolorem illum qui eſt ſecundum Deum, & reſipiſcentiam ſalutarem producit.

Obduratis urgenda lex & maledictio legis interminanda, unà cùm difficultate liberationis uſque dum pungantur corde. Matt. 3.7. *Quùmque vidiſſet multos ex Phariſæis & Sadducæis venientes ad baptiſmum ſuum, dixit ijs, Progenies viperarum, quis vobis præmonſtrauit ut fugeretis ab ira futura.* & 19.16. *Magiſter bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam, &c.* 17. *Ipſe verò dixit ei, &c. Si vis autem ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Matth. 23.13. *Væ vobis Scribæ & Phariſes hypocritæ, quoniam clauditis regnum cœlorum coram hominibus: vos enim non introitis, neque introeuntes ſinitis introire, &c.* 33. *Serpentes, progenies viperarum, quomodo effugere poſſitis judicium gehennæ.*

Sed ubi apparet initium compunctionis, euangelio ſtatim ſolandi.

IIII.

IIII.
Humiliati.

Hîc magnoperè consíderandum, an humiliatio sit plena & solida, vel inchoata & leuior: ne citiùs quàm par est, singularis persona aut populus consolationem recipiens, postea magis obdurescat: more ferri, quod conjectum in fornacem durissimum euadit, ubi deferbuerit.

Cum ijs qui ex parte humiliantur, processus talis esto. Lex proponatur, sed ita prudentèr temperata cum euangelio, ut peccatis suis & judicij diuini meditatione territi, simul etiam eodem tempore consolationem ex euangelio recipiant, Act.8.20. *Petrus autem dixit ei, Argentum tuum tecum pereat, qui donum Dei existimas pecunijs acquiri.* 21. *Non est tibi pars neq́, sors in hoc negotio: cor enim tuum non est rectum in Dei conspectu.* 22. *Resipisce igitur ab ista tua malitia, & roga deũ, si fortè remittetur tibi cogitatio cordis tui.* 23 *Video enim te in felle amarissimo, & nexu injustitiæ positũ.* Gen.3.9. *Inclamauit autem Iehoua Deus Adamum, & dixit ei, ubi es? Dixit verò Deus quis indicauit tibi nudum esse te? an de*

fructu illius arboris, de quo interdixeram tibi ne comedas ex eo, comederis? 13 Tum dixit Iehoua Deus mulieri, quid hoc est quod fecisti? Dixit autem mulier, Serpens iste seduxit me & comedi. 15. Prætereà inimicitiam ponam inter te & mulierem hanc, similiterq; inter semen tuum & semen hujus, hoc conteret tibi caput: tu autem conteres huic calcaneum. 2. Sam. 12. *Nathan à Deo missus proposita parabola, Dauidem ad facti sui conscientiam reuocat, ac resipiscenti veniam pronunciat.*

Plenè humiliatis doctrina fidei & resipiscentiæ, & consolationes Euangelicæ promulgandæ. Luc. 4. 18. *Spiritus domini super me, propterea quòd unxit me ut euangelizem pauperibus: misit me ut sanem contritos corde, ut prædicem captiuis dimissionem, & cæcis visus recuperationem, & confractos emittam in libertatem.* Act. 2. 37. *His autem auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolos, quid faciemus viri fratres? 38. Petrus autem ait ad eos: Resipiscite, & baptizetur unusq; vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Matt. 9. 13. *Non veni ut vocarem justos sed peccatores ad resipiscentiam.*

Cri-

V.
Credentes.

His proponenda, I Euangelium de iuſtificatione, ſanctificatione, & perſeuerantia. II. Lex ſine maledictione, qua doceantur nouæ obedientiæ fructus reſipiſcentiæ conuenientes edere. Rom.8.1. *Nulla eſt condemnatio ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu.* 1.Tim.1.9. *Iuſto non eſt lex poſita.* Exemplum ſit Epiſtola Pauli ad Romanos. III. Maledictio legis utcunque non in perſonam quæ iuſta eſt & ſancta apud Deum, tamen aduerſus perſonæ peccata quæ remanent urgenda eſt: & ſicut pater ferreas virgas ſervis deſtinatas, filiis ſæpè ob oculos ponit, ut terreantur: ita in ipſis fidelibus maledictionis meditatio creberrimè excitanda eſt, ne miſericordia Dei ad licentiam abutantur, & ut pleniùs humilientur. Ex parte enim ſanctificatio eſt: ut ergò aboleantur reliquiæ peccati, à meditatione legis & ſenſu peccati ſemper ordiendum eſt, & in Euangelio deſinendum.

VI.

VI.

Lapsi.

Lapsi sunt qui à statu gratiæ ex parte deficiunt.

Lapsus est, vel fidei, vel morum.

Lapsus fidei est vel in notitia doctrinæ Euangelicæ, vel in apprehensione Christi.

Lapsus notitiæ, est defectio ad errorem siue leuiorem siue fundamentalem.

Defectionem facientibus doctrina errori contraria demonstratiuè inculcanda est cum doctrina resipiscentiæ, affectu fraterno. Exemplum esto Epistola Pauli ad Galatas. 2. Tim. 2. 25. *Cum lenitate erudientem* τὸς ἀντιδιατιθεμένους *eos qui contrario animo sunt affecti: ecquando det ijs Deus ut resipiscentes agnoscant veritatem.*

Lapsus qui est in apprehensione Christi, est desperatio.

Desperatis restituendis adhibenda sunt: Exploratio & Remedium.

Exploratio est vel causæ tentationis, vel status.

Explora-

Exploratio cauſæ commodè fit priuata confeſsione, Iac.5.17. *Confitemini alij alijs offenſas, & orate alij pro alijs ut ſanemini.* Sed ne ex confeſsione carnificina quædam fiat, his ea cautionibus circumſcribenda eſt. I. Debet eſſe libera non coacta: quia ex ea ſalus non pendet. II. Non omnium peccatorum eſſe debet, ſed eorum tantùm quæ conſcientiam premunt, è quibus niſi reuelentur, grauius immineat periculum. III. Paſtoribus præcipuè fiat: ita tamen ut ſciamus aliis in eccleſia fidelibus tutò fieri poſſe.

Exploratio ſtatus eſt, qua diſquiritur an ſint ſub lege vel ſub gratia.

Hoc ut liquido appareat, adhibitis quæſtionibus primò eliciendum, an habeant diſplicentiam ſui, quòd Deum offenderint, id eſt, odium peccati quatenus peccatum eſt: quod fundamentum eſt reſipiſcentiæ ad ſalutem: Secundò, an habeant vel ſentiant in corde deſiderium reconciliationis cum Deo, quod viuæ fidei principium eſt.

Exploratione facta, Remedium dandum eſt ex Euangelio, quod duplex. Primò crebrius inculcandæ Meditationes Euangelicæ: Vt, I. Peccatum eſſe remiſsibile. II. Promiſsiones

missiones respectu credentium generales, & respectu singulorum hominum indefinitas esse & neminem excludere. III. Velle credere esse credere, Psalm. 145. 19. Reuelat. 21. 6. IIII. Peccatum non tollere gratiam, sed (Deo omnia in bonum suorum conuertente) potius illustrare. V. Cuncta Dei opera esse in mediis contrariis. Secundò, rogandi sunt ut in ipso tentationis paroxysmo excitent sopitam fidem, & certò statuant sibi remissa peccata, atque precando vel seperatim vel cum aliis, contra sensum carnis & contra spem humanam luctentur strenuè: atque ista ut faciant, & fortius urgendi & nolentes penè cogendi sunt. Psalm. 13. 1. *Ex profunditatibus inclamavi te Iehova.* 2. *Domine auscultа voci meæ: sint aures tuæ intentæ ad vocem deprecationum mearum.* Psalm. 77. 2. *Vox mea ad Deum, quum exclamo, vox mea ad Deum, ut aurem advertat ad me.* 3. *Tempore angustiæ meæ Dominum requiro.* Roman. 4. 18. *Qui Abraham contra spem sub spe credidit, ut fieret pater multarum gentium.*

Atque ut hæc remedia vim habeant, Ministerialis illa potestas ligandi & soluendi ad præscrip-

præſcriptum verbi uſurpanda eſt. 2. Sam. 12. 13. *Tum dixit David Nathani, Peccavi Iehovæ: quapropter dixit Nathan Davidi, etiam Iehova tranſtulit peccatum tuum: non es moriturus.* 2. Corinth. 5. 20. *Itaq; nomine Chriſti legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos: oramus Chriſti nomine reconciliemini Deo.* Et ſi fortè Melancholia mentem turbauerit, medicinæ auxilium priuatim petendum.

Lapſus morum eſt, quùm quis fidelis ad actuale peccatum in vita deficit. Vt, Ebrietas Noë, adulterium Davidis, Abnegatio Petri, &c.

Lapſis hoc modo, quia gratia remanens quoad vim & habitum, ad tempus amitti poteſt quoad internum ſenſum & actum: proponenda lex Euangelio temperata: quia noui peccati actus, requirit novum actum & fidei & reſipiſcentiæ. Iſa. 1. 1, 2, 3, 4. *Ah gens peccatrix, populus graviſsimus iniquitate, ſemen maleficentiſsimum, filij corruptores! dereliquerunt Iehovam, contemptim irritauerunt ſanctum Iſraelis, abalienantes ſeſe auerterunt retrorſum.* v. 16. *Lauate vos, purificate vos, amouete malignitatem*

actionum

actionum vestrarum ex aduerso oculorum meorum, &c. v. 18. *Venite jam, & disceptemus, inquit Iehoua: si fuerint peccata vestra velut dibapha, tanquam nix exalbescent: si rubra fuerint velut coccineum, similia lanæ erunt.*

VII.

Mixtus populus.

Mixtus populus sunt Ecclesiarum nostrarum cœtus. His doctrina quæuis proponi potest siue legalis, siue Euangelica: si limitatio doctrinæ & circumscriptio ad eas personas fiat, quibus conuenit. Ioh. 7. 37. *Vltimo autem die illo magno festi stetit Iesus & clamauit dicens,* „non [quisque sed] *si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Et Prophetarum in concionando hic mos fuit, improbis judicia & interitum denunciare: resipiscentibus liberationem in Christo promittere. Ἀπορία. Si in publico cœtu desperet quis, cæteris obfirmatis, quid agendum est? Λύσις. Obfirmati legem audiant circumscriptam limitibus personarum & vitiorum: & Euangelij vocem audiat afflicta conscientia sibi speciatim applicatam.

CAP.

CAP. VII.

De ſpeciebus applicationis.

Pplicatio eſt vel Νοητικὴ, uel Πρακτικὴ.

Noëtica, quæ mentem reſpicit: eſtque uel Διδασκαλία uel Ἔλεγχος. 2. Tim. 3. 16. *Tota Scriptura diuinitùs eſt inſpirata & utilis* [πρὸς διδασκαλίαν] *ad doctrinam*, [πρὸς ἔλεγχον] *ad redargutionem*, [πρὸς ἐπανόρθωσιν] *ad correctionẽ*, [πρὸς παιδείαν] *ad inſtitutionem quæ eſt injuſtitia.* 17. *Vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.*

Διδασκαλία eſt, qua doctrina adhibetur ad informandam mentem ad rectum judicium de rebus credendis.

Ἔλεγχος eſt, quo doctrina adhibetur ad reformandam mentem ab errore.

In confutationibus quæ publicè pro concione fiunt, utendum his cautionibus. I. τὰ

κρινόμενα,

κρινόμενον, siue status tractandæ quæstionis certò teneatur. II. Errores tantùm arguantur ij, qui turbant Ecclesiam, in qua vivimus: cæteris planè omissis, qui vel demortui jacent vel externi sunt: nisi ex iis periculum immineat. Matth. 16. *Cavete à fermento Pharisæorum & Saducæorum.* Marc. 9. *Videte & cavete à fermento Herodis.* Apoc. 2. Pergamenses monentur de Nicolaitis quibus eorum nonnulli assentiebantur. III. Si error extra fundamentum fidei sit, confutatio non solùm debet esse Christiana, ut semper: sed etiam amica & placida & fraterna dissentio.

Applicatio practica est, quæ vitam & mores respicit: estque παιδεία & ἐπανορθωσις.

Παιδεία est, qua doctrina adhibetur ad informandum hominem ad benè viuendum in œconomia, politia, ecclesia. Hujus loci sunt Consolatio, & Exhortatio. Rom. 15. 3.

Ἐπανόρθωσις est, qua doctrina adhibetur ad reformandam vitam ab impietate & injustitia. Hujus loci est Admonitio. Hæc faciendæ est, primò generalitèr omissis circumstantiis personarum. 2. Sam. 12. *Nathan Davidem ad peccati sui cognitionem adducit*

ope

ope generalis parabolæ. Act. 19. 25. *Spectatis & auditis Paulum non ſolùm Epheſinam, ſed propè totius Aſiæ multam turbam perſuadendo auertiſſe,* (quòd dicat deos illos non eſſe qui manibus fiant.) 34. *Tum ſcriba, quùm repreſſiſſet turbam, dixit, viri Epheſij, &c. Adduxiſtis homines iſtos, neque ſacrilegos, neque contumelioſos in deam veſtram.* Poſtea ſi prior non valeat, ſpecialiùs urgenda. 1. Tim. 5. 20. *Eos qui peccant coram omnibus argue, ut & cæteri timeant.* Verùm ſemper, in ipſo odio peccati, eluceat in verbis amor perſonæ: ſeque ipſum Miniſter in reprehenſione (ſi poſsit) includat, ut mitior ea ſit & mollior. Dan. 4. 16. *Tum Daniel &c. Domine mi, ſomnium hoc eueniat oſoribus tuis, & interpretatio eius inimicis tuis.* 17. *Arbor illa quam vidiſti, &c. tues.* Galat. 2. 15. *Nos naturâ Iudæi, & non ex gentibus peccatores.* 1. Cor. 9. 6. *Hæc autem fratres, figura quadam tranſtuli ad meipſum, & Apollo propter vos: ut in nobis diſcatis, ſupra id quod ſcriptum eſt non ſapere.*

Atque hæ quatuor applicationis ſpecies in quavis Scripturæ ſententia occurrunt. Exemplum autem apponam illud, quod poſuit

Illyricus libr. de ratione cognoscendi S. litteras. Tract. 1.

Matth. 10. 20. *Ne metuatis vobis ab ijs qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed metuite magis illum, qui potest & corpus & animam perdere in Gehennam. Nonnè duo passerculi minuto asse veneunt? & unus ex illis non cadet in terram sine Patre vestro? vestri verò etiam pili capitis omnes numerati sunt. Ne igitur metuatis, vos pluris estis quàm multi passerculi.*

Hinc facile est, multiplicem doctrinam eruere: partim de confessione fidei: partim de providentia.

Διδασκαλία. I. Necessarium esse, ut veritatem cognitam quoties est opus, publicè profiteamur. II. Confessionem etiam cum fortunarum & capitis periculo faciendam. III. Præ Christo ejusque veritate vitam nostram contemni debere. IIII.

Quibus

Quibus Christum, ejusque veritatem negare timor non est: paratas esse æternas pœnas & anima & corpore luendas. V. Vt rectè confessionem faciamus, Deum nobis regendis intentum esse. VI. Prouidentiam Dei non solùm esse generalem, sed etiam specialem, quæ minimas quasque res nostras, etiam pilos capitis, officiosè curet.

Ἔλεγχος. I. Errant, qui existimant satis esse si fidem, rectamque de religione sententiam corde amplectantur, atque ita conscientiam suam uni Deo probent: interea apud homines liberum esse quiduis concedere aut affirmare, prout loci temporis & personarum conditio fert, præsertim ubi imminere videtur vitæ discrimen. II. Errant Epicurei, negantes diuinam prouidentiam: quia putant Dei majestate indignum res humanas curare. III. Errant Stoici, qui putant omnia fato regi. IIII. Errant, qui casum & fortunam constituunt, citra ullam prouidentiæ diuinæ sapientem ordinationem. V. Errant Pelagiani, plus justo humanis viribus tribuentes, perinde acsi in hominum manu esset positum, fidem pro arbitrio amplecti, in eadem perseuerare, eandem intrepidè confiteri ad fi-

nem usque. VI. Errant, qui plus nituntur externis rebus & caducis opibus, quàm diuinæ potentiæ ac bonitati.

Παιδεία. I. Pro virili nitendum, ut verum Dei timorem ob oculos habeas: quia jam audis unum Deum timendum præ omnibus hominibus. II. Discendum talem rerum humanarum contemptum, ut semper cupias iis relictis migrare hinc, & cum Christo conjungi in cœlis. III. Consideratio providentiæ specialis facit, ut Dei inspectoris præsentiam cogites, auxilium implores, juvari quoque te in omnibus persuasum habeas: denique non esse ullum periculum tam formidandum, à quo non possit & velit eripere, quando est opportunum.

Ἐπανόρθωσις. I. Corrigunt hæc verba Christi, illorum negligentiam, qui precibus non obsecrant Deum pro syncera dilectione, qua inflammati non detrectent vitam propter nomen ejus profundere. II. Taxatur hominum quoque segnities, qui Dei providentiam, in rebus omnibus se exercentem, non agnoscunt & contemplantur. III. Arguuntur qui Deo non agunt gratias, quòd dignatur nos nostraque omnia providentiâ gu-

gubernare & tueri. IIII. Arguuntur, qui bonis Dei creaturis abutuntur, quando earum omnium curam esse Domino, in confesso est.

Hoc modo quiuis Scripturæ locus tractandus: ita tamen ut non omnes expromantur doctrinæ ad populum, sed illæ tantum, quæ nostris temporibus, & præsenti Ecclesiæ condicioni, aptè accommodentur. Et non solùm selectæ esse debent, sed etiam paucæ; ne auditores obruantur multitudine.

CAP. VIII.

De Reminiscentia in concionando.

QVIA receptum est, ut memoriter coram populo dicant Concionatores, de Reminiscentia hîc aliquid attexendum.

Artificiosa memoria, quæ constat locis & imaginibus facillimè absque labore docebit

memoriæ mandare conciones: sed ea proban-
da non est. I. Animatio imaginis, quæ cauis
est memoriæ, impia est: quia requirit cogita-
tiones absurdas, insolentes, prodigiosas, easque
inprimis, quæ prauissimos carnis affectus exa-
cuunt & incendunt. II. Ingenium & memo-
riam obtundit, quia triplicem memoriam re-
quirit pro una: primam locorum: alteram i-
maginum: tertiam rei narrandæ.

Consilium ergò haud inutile est, si concio-
naturus dati textus singulas doctrinas, doctri-
narum singulas probationes & applicatio-
nes, applicationum illustrationes, eorumque
omnium seriem mente diligentèr consignet
ope dispositionis, vel aximoticæ, vel syllogi-
sticæ, vel methodicæ: nihil interim solicitus
de verbis, quæ prouisam rem (ut inquit ille)
non inuita sequentur.

Multa incommoda habet illorum studi-
um, qui scriptas conciones verbatim edi-
cunt. I. Magnum laborem postulat. II.
Qui in uno verbo impingit timidus, & con-
cionem turbat, & memoriam confundit. III.
Pronunciatio, actio, & affectuum sancti mo-
tus impediuntur: quia mens in hoc unum to-
ta incumbit, ne memoria oneri jam suc-

cumbens

cumbens labaſcat.

CAP. IX.

HVcuſque de Apparatu concionis: ſequitur Promulgatio.

In Promulgatione duo requiruntur: Occultatio humanæ ſapientiæ, & Demonſtratio ſpiritus.

Occultanda eſt humana ſapientia, ſiue fuerit in materia concionis, ſiue in ornatu verborum: quia prædicatio verbi, eſt *teſtimonium Dei*, & *profeſſio ſcientiæ Chriſti*, non humanæ peritiæ: deinde, quia auditores non debent fidem ſuam tribuere donis hominum, ſed potentiæ verbi Dei. 1. Cor. 2. 1. *Ego quùm venirem ad vos, fratres, non veni cum eminentia facundiæ aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Dei.* 2. *Non enim decreueram quicquam ſcire inter vos niſi Ieſum Chriſtum, eumq; crucifixum.* 5. *Ne fides veſtra conſiſtat in ſapientia hominum, ſed in potentia Dei.*

Si quis exiſtimet hoc modo barbariem in pulpita inuehi: ſciendum eſt, poſſe, imò debere miniſtrum priuatim, artibus, philoſo-

phia, & varia lectione uti liberrimè, dum est in formanda concione : publicè verò hæc omnia populum celare debet, & ne tantillum ostentare quidem. Artis etiam est celare artem.

Demonstratio spiritus est, quùm minister verbi inter concionandum ita se gerit, ut non tam eum, quàm Spiritum Dei in eo, & per eum loqui, omnes etiam idiotæ & infideles judicent. 1. Cor. 2. 4. *Neque oratio mea & prædicatio mea verſata est in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione ſpiritus & potentiæ.* & 14. 24. *Si omnes prophetent, ingrediatur autem infidelis quiſpiam, aut idiota, arguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus.* 25. *Et ita occulta cordis ejus manifeſta ſiunt, atque ita procidens in faciem, adorabit Deum, renuncians Deum vere in vobis eſſe.* & 4. 19. *Veniam brevi ad vos &c. & cognoſcam non verba illorum qui inflati ſunt, ſed virtutem.* 20. *Non enim in verbis eſt regnum Dei, ſed in virtute.* Mic. 3. 8. *Ego repletus ſum virtute à ſpiritu Jehovæ, judicio & potentia, ad indicandum Jacobo defectionem ipſius, & Iſraeli peccatum ipſius.* Hæc vivũ & actuosum ministeriũ facit. Luc.

11.27. *Factum est autem, quùm hæc diceret, at tollens vocem quædam mulier è turba, dixit ei, beatus uterus qui te portavit, & ubera quæ suxisti.*

Hæc demonstratio est, vel in Sermone vel Gestu.

Sermo debet esse Spiritualis & Gratiosus.

Sermo spiritualis est is, quem docet spiritus sanctus, 1. Cor. 2. 13. *Quæ loquimur, non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet spiritus sanctus, spiritualia cum iis quæ spiritualia sunt conjungentes.* Est autem oratio & simplex & perspicua, tum intelligentiæ populi, tum majestati spiritus exprimendæ conveniens. Act. 17. 2. *Paulus per tria Sabbatha disseruit cum iis è Scripturis.* 3. *Aperiens* [διανοίγων] *& ob oculos ponens, oportuisse Christum pati & resurgere à mortuis.* Galat. 3. 1. *Amentes Galatæ quis vos, quibus ob oculos Iesus Christus prius fuerat depictus, inter vos crucifixus.* & 2. Cor. 4. 2. *Sed abdicavimus turpitudinis latebras, non cum calliditate incedentes, neq; falsantes sermonem Dei, sed declaratione veritatis commendantes nosipsos apud omnem conscientiam*

am hominum, in conſpectu Dei. 3. Quòd ſi tectum eſt Euangelium noſtrum, ijs qui pereunt tectum eſt. 4. In quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes, nempe in *infidelibus, ne irradiet eos &c.*

Quocirca concioni non intermiſcenda vocabula artium, neque Græcæ & Latinæ phraſes & argutiæ. I. Interturbant mentes auditorum, ut antecedentia cum conſequentibus aptare non poſsint. II. Rerum quæ dicuntur intelligentiam impedit peregrina vox. III. Mentem à propoſito ad aliud abſtrahit.

Hîc quoque fabularum narratio & verba quæque prophana & ridicula omittenda.

Sermo gratioſus eſt, in quo exprimitur gratia cordis. Luc. 4. 22. *Et omnes teſtimonium ei dabant, & mirabantur ſuper ſermonibus plenis gratia, qui procedebant ex ore ipſius.* Ioh. 7. 46. *Reſponderunt miniſtri, nunquam ita loquutus eſt homo, ut iſte homo.*

Gratia eſt vel Perſonæ, vel Miniſterij.

Gratia perſonæ, eſt ſanctitas cordis & inculpata vita: quæ, utcunque non eſt de eſſen-

tia

tia Ministri, est tamen maximè necessaria. I. Quia doctrina verbi & intellectu & praxi difficilis est: idcircò minister quod docet, exemplo suo velut typo exprimere debet. 1:Pet. 5.3. *Neque ut dominantes cleris, sed ut qui sitis* [τύποι] *exemplaria gregis.* & 1.Timoth. 4. 12. *Esto exemplar fidelium in sermone, in conuersatione.* Philip. 4. 8. *Quod reliquum est fratres, quæcunq; sunt vera, quæcunq; veneranda &c. hæc cogitate.* 9. *Quæ & didicistis & accepistis & audistis* & vidistis in me, *hæc facite & Deus pacis erit vobiscum.* II. Qui pius non est, utcunque Scripturarum teneat intelligentiam: tamen interiorem sensum & experientiam verbi corde non percipit. Psalm. 25. 8. *Bonus & rectus Iehoua est: idcircò docet peccatores viam suam.* 9. *Facit ut incedant mansueti in jure, & docet mansuetos viam suam.* Amos 3.7. *Non enim facit Dominus Iehoua quicquam, nisi quùm reuelauerit secretum suum seruis suis Prophetis.* Genes. 18. 17. *Dixit autem Iehoua, occultemnè ego ab Abrahamo quod sum facturus.* 18. *Quùm Abraham prorsus futurus sit gentis magnæ ac potentis*

pater

pater &c. 19. *Nam agnovi eum, ut quùm præceperit filijs ſuis & familiæ ſuæ poſt ſe, etiam obſervent viam Iehovæ exercendo juſtitiam & jus.* III. Apud Deum exercendum eſt, conjungi ſermonem pium cum vita impia. Pſalm. 50. 16, 17. *Improbo autem dicit Deus, Quid tua ut enarres decreta mea, & aſſumas fœdus meum in ore tuo, cùm tu oderis diſciplinam.* Inſolens eſt, videre aberrantem viæ ducem, & medicum aliorum, ipſum interim ulceribus ſcatentem, ut inquit Nazian. IIII. Arcanum eſt eccleſiaſticum: *debere miniſtrum ſtudioſè occultare infirmitates ne prodeant.* Nam imperita plebs non miniſterium, ſed miniſtri perſonam aſpicit. Herodes audiuit Iohan. Baptiſtam libenter; non quia miniſter bonus, ſed quia vir bonus. Marc. 6. 20. Rectè Nazian. in verſibus. *Qui ſana docet, & turpiter viuit, una manu porrigit, quod altera rapit.* Chryſoſt. ſuper Matth. cap. 25. Doctor eccleſiæ benè docendo & benè viuendo inſtruit populum quomodo debeat viuere: malè viuendo inſtruit Deum, quomodo eum debeat condemnare. Et Hom. 30. in acta. Perquam facile eſt Philoſophari verbis, doce me vita

vita tua: hæc doctrina optima est. Non enim sic insident animæ verbà ac opera. V. Minister, qui est impius vel apertè vel clàm, non est dignus qui stet ante faciem sanctissimi & omnipotentis Dei. Ierem. 15. 19. *Idcircò sic ait Iehova, Si converteris, prout convertam te*, coram me stabis. Isa. 6. 6. *Sed advolavit ad me unus ex istis Seraphim, habens in manu prunam, quam forcipibus sumserat ab altari.* 7. *Admovitq; ori meo, dicens, Ecce hoc attigit labia tua: jam amovetur iniquitas tua, & peccatum tuum expiatur.* 8 *Deinde audivi vocem Domini dicentis, quem missurus sum? & quis iturus est nobis? cui dixi, En ego, mitte me.* Levit. 10. 3. *Tum dixit Moses Aaroni, illud est quod loquutus est Iehova dicendo, in propinquis meis sanctificabor, & antè conspectum totius populi glorificabor.* Et hinc est, quòd impiis ministris tremenda judicia Dei manent. 1. Sam. 2. 17. *Sic erat peccatum istorum puerorum magnum valdè in conspectu Iehovæ: quia spernebant homines munus Iehovæ; &c.* 25. *Non auscultarunt voci patris sui, quia volebat Iehova eos perdere.*

Sanctitatis præcipuè partes sunt. I. Bona conscien-

conſcientia 2. Corint. 1. 12. *Nam gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod cum ſimplicitate & ſyncerítate Dei, non cum ſapientia carnali, ſed cum gratia Dei, verſati ſumus in mundo,* 1. Timoth. 1. 19. *Retinens fidem & bonam conſcientiam: qua expulſa, nonnulli naufragium fidei fecerunt.* Act. 24. 16. *Intereà verò ipſe me exerceo, ad conſcientiam habendam ſine offendiculo apud Deum & apud homines ſemper.* Hæc ſi deeſt, os loquentis clauſum eſt. Iſa. 56. *Speculatores iſti cæci quotquot ſunt non agnoſcunt: quotquot ſunt canes ſunt muti, non poſſunt latrare: tempori ſeruiunt: jacent, amant dormitionem.* II. Senſus interior doctrinæ tradendæ. Lignum flammæ capax non deflagrat niſi admoto igni: & ipſe prior debet piè affectus eſſe, qui vult pios affectus ciere in aliis. Ergo quales motus concio requirit, tales concionator in animo ſuo priuatim excitabit, ut eoſdem in auditoribus accendat. III. Timor Dei, quo, veneratione diuinæ majeſtatis percitus, ſobriè & moderatè loquitur. IV. Amor populi, quo ſe illorum cupere ſalutem oſtendit. 1. Theſſ. 2. 7. *Sed*

fuimus

fuimus placidi in medio vestri, ut si nutrix foueat suos fœtus. Atque hic affectus ut appareat, ministri munus est seriò & ardenter orare pro Dei populo. 1. Sam. 12. 23. *Etiam quod ad me, absit mihi ut peccem Iehoua, ut desinam supplicare pro vobis.* V. Minister quoque σώφρων esse debet, id est, propter cõstantiam, integritatem, grauitatem, veracitatem, reuerendus, quique reuerẽtiam aliis præstare sciat, vel priuatim vel publicè, prout audientiũ singulorũ personis congruit. VI. Σώφρων, id est, tẽperans, qui affectus vehementiores intus coërcet, & externos mores ac gestus moderatos habet & simplices, quibus dignitas & authoritas conciliantur & conseruantur. Ergo nec οἰνόφλυξ esse debet nec πάροινος, id est, sectator vini, nec litigator, nec percussor, nec iracundus: & qui iuniores sunt, exerceant se ad pietatem, & inueniles cupiditates fugiant. 1. Tim. 4. 7. 14.

Ministerij gratia est. I. διδακτικὸν εἶναι. 1. Tim. 3. 2. Atque Pauli mens est non tantùm decorum esse & laudandum si adsit hoc domum, sed etiam ita necessarium esse, ut non possit deesse. Hoc nomine Nazianzenus Episcopatum recusauit: & Theophilactus in

hunc

hunc locum, hoc docendi officium omnium præcipuè ut insit Episcopis necessarium esse dicit. In Concilio Niceno, Miletio, hoc pœnæ loco impositum fuit, tenere nomen Ministri, sed non prædicare Euangelium. II. Authoritas, qua velut magni Iehouæ legatus loquitur. Tit. 2. 19. *Hæc loquere & exhortare & argue cum omni imperio.* 1.Pet.4.11. *Si quis loquitur loquatur ut eloquia Dei.* III. Zelus, quo cupidissimus gloriæ Dei, decretum electionis de salute hominum ministerio suo complere & exequi conatur. Iob.32.18. *Plenus sum sermonibus, coarctat me spiritus ventris mei.* 19 *Ecce, venter meus, ut vinum cui non aperitur.* Psalm. 45.1. *Ebullit cor meum verbum bonum.* 2.Tim.2.25. *Erudientem eos, &c. ecquando det ijs Deus ut resipiscentes agnoscant veritatem.* Colos.1.28,29. *Admonentes quemvis &c, ut quemvis sistamus perfectum in Christo Iesu.*

Gestus est, vel in actione vocis vel corporis.

Vox debet ita esse alta, ut omnes audiant. Isa.58,1. *Exclama guttere, ne cohibeto: tanquam buccinam extolle vocem tuam.* Ioh.7.

37.

37. *Vltimo die illo magno festi stetit Iesus & clamauit.* Act. 2. 14. *Stans autem Petrus cum undecim sustulit vocem suam & loquutus est.*

In doctrina moderatior esse debet, in exhortatione ardentior & concitatior.

In gestu corporis sit ea grauitas, quæ Dei legatum adornet. Conuenit ergò, ut, erecto & quiescente trunco corporis, reliquæ partes, ut brachium, manus, frons, oculi tales habeant motus, qui pios affectus animi exprimant & quasi eloquantur. Oculi & manus elevatio fiduciam significat. 2. Chron. 6. 13. *Fecerat Salomon suggestum aneum, posuerat q; ipsum in medio atrij, &c. substitit igitur in eo, & flexus in genua coram tota congregatione Israëlis, expandit manus suas versus cælum:* 14. *ac dixit, Iehoua Deus, &c.* Act. 7. 55. *Stephanus quùm esset plenus Spiritu sancto, intentis in cælum oculis, vidit gloriam Dei, &c.* Oculorum depressio dolorem & anxietatem. Luc. 18. 13. *Publicanus autem procul stans nolebat vel oculos in cælum attollere, sed percutiebat pectus suum, dicens, Deus placator mihi peccatori.*

De gestu præceptiones tradi aliæ non pos-

sunt: tantùm, grauissimorum in hoc genere Ministrorum exemplum, regulæ vicem obtineat.

CAP. X.

DE CONCEPTIONE *precum.*

HActenus de prædicatione verbi: sequitur conceptio precum: quæ est secunda pars Prophetiæ, qua minister vox est populi in inuocando Deum. Luc. 11. 1. *Dixit ei quidam è discipulis, domine doce nos precari prout & Iohannes docuit discipulos suos.* 1. Sam. 14. 24.

Hic consideranda:

I. Materia, primò defectus & peccata populi: deinde gratiæ Dei & beneficia quibus eget. 1. Timoth. 2. 1. *Adhortor igitur ante omnia ut fiant deprecationes &c. pro quibusvis hominibus: 2. Pro regibus & quibusvis in eminentia constitutis.* Tertull. apolog. *Precantes sumus omnes pro omnibus*

bus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, denique tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, probum populum, orbem quietum, & quæcunq; hominis & Cæſaris vota ſunt. Et, *oramus pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum ac poteſtatibus, pro ſtatu ſeculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* Hanc materiem oratio dominica reducit ad ſex capita quæ ſunt, gloria Dei, regnum, obedientia, conſeruatio vitæ, remiſsio peccatorum, corroboratio ſpiritus.

II. Forma: I. Vox una, eaque ſolius miniſtri, populo interim ſilente, aſſenſumque ad finem præbente per Amen. Act. 4. 24. *Qui quùm hæc audiſſent concorditer ſuſtulerunt vocem ad Deum, dixeruntq; &c.* Nehem. 8. 7. *Deinde bene dixit Hezra Iehovæ Deo maximo. cui reſpondentes totus populus, Amen, Amen.* 1. Corinth. 14. 16. *Si benedixeris ſpiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus eſt Amen, ad tuam gratiarum actionem?* Iuſtin. apolog. ad Antoninum. Secunda, *ubi ille* [εὐχὰς] *preces & gratiarum actionem abſolvit, populus qui adeſt omnis, fauſta approbatione acclamat, dicens, Amen.* Athan. apolog. ad Conſtantium Imper. Euſeb. lib. 7.

cap.8. Hieron.procem.2. in Galat. II. Vox intellecta,1. Cor.14.15. *Precabor spiritu, precabor etiam intelligentia: psallam spiritu, sed psallam etiam intelligentia.*

III. Vox continuata non concisa & rupta: ut battologia vitetur. Matth.6.7.

IIII. Partes, quæ sunt tres: Consideratio, Ordinatio, Prolatio.

Consideratio, qua idonea materies formandis precibus disquiritur.

Ordinatio, qua inuenta materies in animo, certo ordine consignatur.

Prolatio, qua juxta ordinem publicè enunciatur ad populi ædificationem.

Trin-uni Deo gloria.

SACRAE ET VNICAE
rationis concionandi ordo
& ſumma.

I. Contextum è Canonicis Scripturis explanatè legere.

II. Perlecti ſenſum & intelligentiam dare per Scripturam ipſam.

III. E germano ſenſu locos doctrinæ paucos & utiles colligere.

IIII. Doctrinas ritè collectas, ſi donum adſit, applicare ad vitam & mores hominum, ſermone ſimplici & aperto.

SVMMA SVMMAE.

Vnum Chriſtum per Chriſtum ad Chriſti laudem prædicato.

SCRIP-

SCRIPTORES QVI *huic Propheticæ* μέρος ἐπιβάλλον contulerunt.

Augustinus, Hemingius, Hyperius, Erasmus, Illyricus, Wigandus, Iacobus Matthias, Th. Beza, Fr. Iunius.

Errata sic corrigenda.

Pag. 1. lin. 16. ἀνακρίνεται. p. 7. l. 1. *hic.* p. 9. l. 3. *reditu.* p. 13. l. 8. *tredecim.* & l. 17. *ad Galatas.* p. 27. l. 17. *Exegeticæ.* p. 33. l. 11. *libro.* p. 39. l. 1. Cap. 5. pag. 59 l. 23 duplicata negatio.

FINIS.

Proj
ca.
Ejus
tes.

SCRIPTORES QVI *huic Propheticæ* μέρος ἐπιβάλλον contulerunt.

Augustinus, Hemingius, Hyperius, Erasmus, Illyricus, Wigandus, Iacobus Matthias, Th. Beza, Fr. Iunius.

Errata sic corrigenda.

Pag. 1. lin. 16. ἀνακρίνεται. p. 7. l. 1. *hic.* p. 9. l. 3. *reditu.* p. 13. l. 8. *tredecim.* & l. 17. *ad Galatas.* p. 27. l. 17. *Exegeticæ.* p. 33. l. 11. *libro.* p. 39. l. 1. Cap. 5. pag. 59. l. 23. duplicata negatio.

FINIS.

SYNOPSIS PROPHETICAE.



thias, Th. Beza, Fr. Iunius.

Errata sic corrigenda.

Pag. 1. lin. 16. ἀνακρίνεται. p. 7. l. 1. *hic.* p. 9. l. 3. *reditu.* p. 13. l. 8. *tredecim.* & l. 17. *ad Galatas.* p. 27. l. 17. *Exegeticæ.* p. 33. l. 11. *libro.* p. 39. l. 1. Cap. 5. pag. 59. l. 23. duplicata negatio.

FINIS.



- Propheti-ca. Ejus partes.
  - Partes quæ
    - Promulgatio concionis
      - Occultatio omnis humanæ sapientiæ.
      - Demonstratio Spiritus.
        - Sermone qui
          - Spiritualis.
          - Gratiosus, gratia.
            - Personæ, sanctitas.
              - 1. αἴσθησις.
              - 2. Consc. bona.
              - 3. Timor Dei.
              - 4. Amor pop.
            - Ministerij.
              - Authoritas.
              - Zelus.
        - Gestu & actione.
          - Vocis.
          - Corporis.
    - Applicatio.
      - Modi 7.
      - Partes
        - Noëtica
          - Διδασκαλία.
          - Ἔλεγχος.
        - Practica
          - Παιδεία.
          - Ἐπανόρθωσις.
  - Conceptio precum pub.
    - 1. Materia
    - 2. Forma.
    - 3. Partes.
      - Meditatio.
      - Ordinatio.
      - Enunciatio.